Ord. Relig

Horae

TYPVS

SEV PICTVRA VESTIS RELIGIOSÆ.

QVA DISTINCTE' REPRÆSENTATVR & antiquorum tam in noua, quàm in veteri lege Monachorum multiplex habitus.


ET

Potißimæ Rationes ob quas Carmelitæ Pullo seu Griseo-nigro colore natiuo in vestibus vtuntur.

Per Fr. LEONEM à sancto IOANNE Carmelitam Rhedonensem.

Vestem sanctam quâ vtetur Aaron, habebunt filij eius post eum, vt vngantur in ea, & consecrentur manus eorum. Exod. 29.








PARISIIS,
Apud IOSEPHVM COTTEREAV, viâ Iacobæâ sub signo Prudentiæ.

M. DC XXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS,
Approbatione Doctorum, & licentia Superiorum.



ILLVSTRISSIMO

AC REVERENDISSIMO DOMINO. D. IOANNI GARSIÆ Millino S.R.E. Cardinali Amplissimo.

TOTIVS CARMELITARVM ordinis protectori Sapientissimo

FR. LEO A SANCTO IOANNE Carmelita Rhedonensis, æternum benè.



E me quæso, iniurium putes in tuam purpuram (Cardinalis protector Illustrissime) *si priuatus homo tam exilis gratificatione munusculi, immensa tuæ protectionis in ordinem vniuersum beneficia, pro virili parte aggredior remetiri: Indigna certè opella non diffiteor, quæ vel purpuræ cuius splendore permirumquantum exornaris: vel eximiis virtutũ ornamentis, quarum claritudine Senatoriam Ecclesiæ purpuram illustras admirabiliter, debeat nuncupari; siue hostia illa sit donec periclitabitur veritas, siue posteaquam vicerit à victore oblata victima. Nam enimuero si expectasse semper à mea tenuitate fastigio tuo dignum munus, soluendo nunquam fuissem: Imo vero cum vinceret linguæ & officium calami continuatæ erga*

à

nos Beneficentiæ magnitudo, tuarum (quod pulchrè de Deo sentiebat Philo Iudæus) Gratiarum antiquissima bonitas; *quotquot sunt mecum vitæ Carmeliticæ professores & viuere & mori ingratos, licet maximè inuitos coëgisset. Nam vt nostri cæteris reliquissent pro munere, rarissimæ pietatis tuæ, eruditionis, sanctimoniæ, prudentiæ, integritatis ac cæterarum, quibus potissimum emines, virtutum præconia; Quis tandem ex omnibus Carmelitis qui quà Oriens patet, quà Occidens tam felici patrocinio speciali clientelâ addicti esse gloriantur, iugem animi sollicitudinem, ardẽtissimum reformationis Zelum quo vniuerso ordini nostro, nobisque præsertim amicissimè inuigilas: adhæc prolixam in singulos benignitatem tuam, debitâ confessione in publicum potuisset testificari? hoc nempe durissimum nostræ familiæ impositum à te onus est, vt quamuis vniuersi in tuis laudibus & gratiarum actione mutuis studiis allaborent; prius tamen fatigentur voces singulorum, quàm tua in omnes merita exhauriantur.*

Dum ergo silent in Galliis præ reuerentia, non modica religiosorum turba, qui sub fœlicibus protectionis tuæ auspicijs in obseruantiori Carmeli cultura annis abhinc amplius viginti, Deo mirabiliter adiuuante creuerunt, meliori aliquando facundia ad posteros tua merita delaturi; Ecce interim è modico gratiarum penu gratulatio erumpit, sic vt ausu nimis fortè temerario, obsequij tamen & verecundiæ plenissimo, mea hæc scriptio qualiscumque de veste Religiosa, &

omnium & meo priuatim nomine, tuam nimirum dignitatem pergat salutare. Nec ingratum erit opinor, sacram purpuram coli à me hoc primigenio mearum Musarum donario. Nam & animaduerto veteres in prisca ætate dijs, Sacerdotibus, Principibus & eruditis viris non Thus Arabiæ diuitias, non ingentes auri cumulos, non cætera pretiosissima dona, quibus mortalium cupido nomen fecit & existimationem: sed folia duntaxat & flores, veluti primam pubescentis naturæ lanuginem solitos offerre. Non secus licet eminentiori gradu subuectus liquidiori voluptate perfruaris, haud tamen ingrato vultu respicies primigenium istud nostri laboris munusculum, quasi naturæ primitias tuis meritis singulari deuotione consecratas: attendens videlicet non quantum, sed ex quanto: *doctus vtiquè cùm diuinæ Maiestatis exemplo, tum verò insinuatione D. Gregorij Nazianzeni,* largitorem non oblato rei pretio, sed offerentis affectu & facultate esse metiendum.

Atque vt mihi à te, non à me tibi beneficium erit oblatum munus bono animo excepisse; ita (si non sit inurbanum) pro donario donatiuũ, cæterisq; hactenùs beneficijs auctuariũ ab ingenita tibi munificẽtia audebo postulare; vti nimirũ autoritate qua polles in Ecclesia, adolescentem in his partibus regularis vitæ incrementis reformationem, quæ iussit hoc donarium non alijs quam tuis Tholis appendi, velis quod hactenus fecisti, nauiter tueri: adeoque huic labori meo non tam pro

vestium colore tuo nutu demutato, quàm pro morum reformatione tuo iussu & singulari patrocinio paulatim efflorescente, non dedigneris gratanter patrocinari. Nam ô me felicem! si vt olim Octauius ille Alexandri imagine vtebatur pro sigillo : ita impræsentiarum clarissimo Cardinalis illustrissimi nomine obsigillatus hic liber Typum præferés vestis Religiosæ, *publicum exstiterit erga tuam celsitudinem nostræ seruitutis sigillum : simulque viuacis semper obsequij mei perenne monumentum. Vale & viue. ita enim ex animo vouet, & Deum suppliciter precatur*

Illustrissimæ C. T.


Humillimus in Christo seruus
& deuotus cliens

F. Leo a Sancto Ioanne
Carmelita Rhedonensis.


APPROBATIO.

LIbellus hic qui *Typus Religiosæ vestis &c.* inscribitur, multa de habitu Religioso, deque eius colore breuiter quidem sed dilucidè, sed eruditè, sed politè pertractat. Priuilegia, his qui Scapulare BEATÆ VIRGINIS deferunt concessa, quæ alijs non paucis aliàs negotium facessere solebant, ad fidei Orthodoxæ Regulas cumulatè satis explicat. Hoc testamur nos qui hunc legimus infrascripti in sacra Facultate Parisiensi Doctores Theologi 3. Mart. 1625.

F. G. Ayrault. I. Messier.



PRÆMONITIO
LECTORI INSTRVENDO
NECESSARIA.



Pellem ferunt haud minoris sapientiæ virum, quàm egregium pingendi artificem, vbi semel nouum aliquod opus maturo labore ad vnguem perduxisset: tabellam statim exponere solitum publicè in porticu, ad vniuersorum censuram. Neque sine magni causâ consilij, id prudenti viro solemne persuasum est. Nam interim dum omnes ex itinere operis lineamenta curiosiùs contemplantur, tectus ipse sipario pone tabulam, quid quisque probaret, quid verò vel ipsum etiam improbaret vulgus, diligentissimè obseruabat. Adeoque singulorum excipiens animaduersiones, partim cordatis peritisque hominibus, quorum iudicare plurimum interest, æquis rationibus satisfacere nitebatur: partim verò iniquos è plebe colorum arbitros, ne *supra crepidam auderent*, grauiùs admonebat.

Plinius lib. 35. cap. 1.

Apelles sua opera publicè proponebat in foro vt hominum iudicia exciperet.

Astutum certè & elegans pictoris callidissimi artificium; sed quod in præsentia si lubet imitari, simile profectò in re non omnino dissimili videor mihi facturus. Nimirum alter modo annus est, ex

quo patres nostri rebus addicti necessariis, iisque imperiis quibus obluctari quocumque tandem prætextu nobis certè, si minus cæteris, summum fuisset nefas; præeunte qua potuerunt & aspirauit cælum, qualicũque per triginta circiter annos morum mutatione, & vestis colorem pariter immutauere. A tenim non secus ac reciprocantis alternatim veris & autumni vicissitudo, vna secum optimam cæterà forte sani corporis, temperiem immutat: pariter quoque importuna ciborum variatio, censetur à medicis stomacho nimis quàm nociua; ita subiit illicò dubitare, an noui in speciem vestimenti demutatio nostræ gentis hominibus arrideret, quibus hoc ingenij esse à naturæ genio obseruat eloquentissimus Galliarum Antistes, vt nullam non approbét nouitatem, nisi dum ea (quam tamen & rationis & naturæ leges comprimis exigunt) morum ac vitæ melioris mutationem inducit. Interea namque

Mutatio solet afferre detrimentum.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus. Virgil. lib. 1. Æneid.

quippe quod ait Satyricus verè & eleganter,

Mille hominum species, & rerum discolor vsus: Persius saty. 4.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Tot capita tot sensus, & quisque de rebus, pro suo captu diuersissime indicat.

Videres experimento dictum à D. Nazianzeno, & quidem sapientissimè. *Nihil hominibus adeò suaue ac incundum, quàm de alienis rebus vltro citroque habere sermonem.* Et iteratò *ex iis qui vitam inspiciunt alios suaues, alios acerbos.*

οὐδὲν γὰρ οὕτως ἡδὺ τοῖς ἀνθρώποις, ὡς τὸ λαλεῖν τὰ ἀλλότρια. Orat. 1. sub init.

Nempe vt vitrum rubro tinctum colore si oculis obuersetur, eum ipsum colorem in obiectis quæ deinceps lustramus, fictâ specie ementituri

τῶν τὰ ἡμέτερα κρινόντων δὲ πᾶσι μικροῦ συμβαίνει, τοῖς τῶν ἀλλοτρίων

non aliter prout quisq; animo affectus fuit, de hac repentina mutatione vestium, vario ac longè discrepanti sensu existimauit. Hic qui singula ratione metitur, nec noua omnia quasi ad Rerum-publicarum securitatem nimis vniuersâ sententiâ damnanda putat, factum vsque probat. Siquidem authore Tertulliano (hanc ipsam vestium mutationem vt virili & masculo, sic erudito ac eleganti tractatu defendente) *habitum vertere naturæ totius solemne munus est.* Et verò instaurationi morum vestimenti quoque reformationē succedere æquum est, tùm verò maximè si aliàs vsquam, cùm eiusmodi mutatione, & ab æui corruptelâ pluribus parasangis receditur, & eodem gressu reditur in antiqua patrum instituta. Effatum enim est Aristotelis non incelebre de rerumpublicarum administratione præcipientis, *Politiam non solum instituendam esse à principio, verùm etiam subinde corrigendam.* Neque verò decet vbiquè multitudinis imperitæ gustum sequi: & plebeiorum quidquid instituitur, quo iure, quâue iniuriâ fastidienti palato accommodare se, cum *nec Deus ipse placeat omnibus*; & magni Senatoris iudicio, *Nulla magis omnibus displiceant quam quæ sic fiunt tanquam omnibus placeant.* Sane quidem dictum Antisthenis extat hac in parte sapienter retulitque Laërt. l. 6. c. 1. vulgus hominum aiebat, ea tantum probat quibus assueuit: ab exoticis abhorret, non quia per se mala sunt, sed quia peregrina. At sapienti nil peregrinum nisi quod cum vitio coniunctum.

κειταῖς οἱ μὲν ἐπιεικεῖς εἶναι ἥμεροι καὶ φιλάνθρωποι, οἱ δὲ καὶ λίαν πικροὶ καὶ ἀγνώμονες. Orat. 14.

Lib. de pallio.

Quæ nā quando & quemodo laudanda vestiu mutatio

Lib. 4. politic.

Politia eget correctione.

Non placere multitudini sæpe virtutis indicium est.

οὐδὲ γὰρ ὁ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει. Ζεὺς Κρονίδης θνητοῖς πᾶσιν ἁδεῖν δύναται. *Theognis Megar. in sent.*

Plinius Iun. in panegyr. Traian.

Quidquid bonum est sapientibus nō videtur nouum.

Quis verò Carmelitis eo nouitatis nomine faciat

inuidiam, nisi immerenter? cùm & repetitis non semel superiorum mandatis, à nigro colore retrahantur, & lato secretioris in Gallia Regij Consilij decreto, ad griseum impellantur, & inuictissimi Regis Ludouici 13. autoritate muniti: deniquè nullâ nō ratione suffulti eam vestis mutationem adeò non illicitam esse contendant; vt licitam, vt oportunam, vt satis superque imperatam firmissimis iisdemque clarissimis rationibus demonstrent. Nam, inquit Tull. orat. 13. *Licere id dicimus quod legibus, quod more maiorum institutisque conceditur.* Quid si insuper præcipiatur? quid si conceptis verbis denuò imperetur? an superiorum mandata exequi, nouitatis studium? an Deo, Pontifici, protectori Cardinali, Regi, Superiori & Capitulo Generali morem gerere facinus erit inexpiabile? ô à nobis vtinam sic semper peccetur, nec vltrà!

Quibus præcipue ex capitibus fuerit licita Carmelitis mutatio coloris in veste.

Griseus color est licitus quia ab antiquo legibus & maiorum institutis concessus, imò etiam de nouo imperatus.

At hic alter qui fortè etiam (vt piè credo cum Seneca) sine noxâ vel decipit, vel decipitur: ille itidem critico supercilio inclytus ex eorum grege, *Qui nil rectum, nisi quod placuit sibi ducunt,* Carmelitas læsæ antiquitatis reos in ius acriter vocant; & quasi lapides pluerint, flumina steterint, iuerintque sursum, monstra & prodigia clamant. Clamant omnem nouitatis sobolem procul statimque à germine ad inferos amandandam: nouatores, reformatores & mutationis studiosos regnorum certissimas pestes esse, publicæ pacis perturbatores, furias, funera. Quandoquidem *nulla prorsus inuenitur diuersitas, quæ non excitet seditionem*: omnis enim motus censetur in physicis calorem excire. Vnde sci-

Epist. 45.

Horat. lib. 1. Epistol. Epist. 2.

Arist. 5. Polit.

Voces loquentium iniqua contra Griseum colorem.

Nouitas summopere vitanda, præsertim quoties fit ob inanem gloriã.

tum illud Diui Gregorij inter Græcos Theologi *vſitata ne ſpernas, nouitatem ne captes, vt nominis ſplendorem tibi apud vulgus compares.* Atque vtinam eo conſidiſſet acrior bilis, & fuiſſent memores in ipſa Scytharum efferata barbarie, Agrippæos gentem numini ſacram vſque adeò honori extitiſſe vniuerſis, vt eos vel tantillum lædere, imo etiam commatibus appetere, proſcindere dicteriis, onerare maledictis, & quocumque tandem modo calumniari enorme eſſet piaculum.

Agrippæis vel leuiſſimam iniuriã irrogare, olim erat nefas Herodot. l. 4.

Ecquis, mi Lector, veritatis radiùs tibi lucere queat in tantâ tenebricantium opinionum caligine? quonam amabo iudicij lancem potius inclines? ego certè dum precantur alij vt ne ea tempeſtas atrocius deſæuiat, æſtuantes rumoris fluctus *affuſo*, vt aiunt, *oleo mitigare* aggredior, & diſpulsâ errorum caligine rebus ipſis adeóque hominũ iudiciis veritatis ſplendorem, ſi qua poteſt, reſtituere.

Lenis ſermo frangit iram.

Quamobrem factum Apellis initio memoratũ trahens in imitationem tibi, candide Lector, quid à noſtris Patribus factum ſit, & quibus viis aut rationibus à nigro veſtium colore ad griſeum conuolatum, ſincerâ fide, dicam & religioſâ, palam ac dilucidè propono Quamuis enim adyta monaſteriorum pandere, ſecretiora religionis arcana palam reuelare iam olim cenſuerim aliud eſſe nihil quàm caſta temerare, & violare ſancta, quæ quominus nota, eo magis admirationi ſunt ac venerationi, docente præſertim veteri adagio. Non eſſe Religionem mundam, vbi omnibus omnia patent; vbi tamen res eò decidit vt vaniſſimis figmentis illu-

Non eſt tutum abdita & ſecreta monaſtica diſciplina propalare.

Hæc mutatio coloris nihil habet arcani.

datur vulgus: & passim nouitatis nomine, antiquitatis veritati crimen fiat; imò verò cùm isthæc mutatio vestimenti vtiquè extrinseca nec ne penetralibus religiosæ disciplinæ, cunctorum vt oculis, ita iudiciis planè prorsus debeat proponi: proteruiam haud dubiè collusor visus fuissem facere, si minus iis lectoris animum rationibus instruxissem, quib⁹ deindè quod suadet Vesuuinus Poëta. *Ioue iudicet æquo*, illud namq; Iustini Martyris Criticũ aduersus Philosophum non importunè vsurpabo. *Si quis nostrorum Patrum rationes ignorans eos reprehendit, peior est idiotis, qui quæ nesciunt nunquam arguunt: si scit veritatem & eam damnat, pessimus.* Quod si hactenus sparsæ per ora vulgi inuidiosæ opinionis fabellas audire sustinuisti, non pigebit opinor Regem Alexandrum in hoc æquissimum iudicem imitari, ac sibi tandem patrocinantis innocentiæ voces ac veritatis, alterâ aure æquanimiter excipere: quippè sapienter Tragicorum Princeps Seneca.

Eorum est videre quorum iudicare.

Horat. 1. Epist. 1.

Quæ requiruntur conditiones ad rectè iudicandũ de qualibet re.

Apud Nicephor. L. 3. c. 31.

Alexander magnus actoris accusationes audiendo, aurem alteram digito occlusam rei defensioni reseruabat.

Qui statuit aliquid parte inaudita alterâ,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

In Mediacto. 3.

Æqui iudicis officium.

Inaudita causa nemo damnatur.

Et quis tandem mortalium innocens esse poterit si accusasse sufficiat? respondit olim Iulianus Cæsar Cephidio oratori, imo calũniatori vehẽtissimo ac sycophantæ. Quanquã multò huius causæ melior cõditio nostri enim nullâ prorsus fuerunt onerati accusatione, quæ sic Ciceronis definitione à maledicẽtiâ discriminatur, vt *illa crimen desideret, rem definiat, hominem notet, argumento probet, teste confirmet, &c.* Quod à nemine hâc in controuersiâ præstitum est. Nam parũ moror nescio cuius anonymi

Orat. 34.

Accusationis & maledicentiæ discrimen.

libellum qui à sæculo non è claustro, nostræ antiquitatis & religiosæ obedientiæ inscius multa dixit, quæ nullo capite vel etiam potuit probare. Huius lineæ vna tantum egerent liturâ. Sed quoniam neque à naturæ genio, neque à religionis ingenio doctus sum verbis digladiari, ita illa datâ occasione satisfecero, vt eius tamen verbis respondere nec quidquam aggrediar; quorsum enim inanis opera? Hoc verò vnum mei ac præcipuum laboris institutum, dum vacat solitudo, & à religiosæ vitæ obseruantiâ libris euoluendis otium relinquitur, pretium operæ sum ego arbitratus vti meæ matri cum fœnore redderem quod eius liberalitate indulgentius accepi, quæ passim de nostræ religionis antiquorumq; Monachorum habitu, vestium colore, qualitate, formâ & materiâ perlegi, monimentis consignare, (& quoniam maturato Generali capitulo, hunc quoque laborem maturari opus fuit; pergam aliquando, si Deus otium dederit, vestem seu indumentum totius hierarchiæ Ecclesiasticæ accuratiùs delineare:) tum verò propositis sapientibus viris & simplici fide prout meditatus sum, expositis quæ Patres nostros ad griseum colorem rationes impulerint, falsam imperitorum opinionem euellere radicitus, ora aduersus germanam antiquitatem loquentium iniqua in totum obstruere. Adeout, mi Lector, æquitatis oculum ad ea quæ profero si velis affere, sperem nec de nihilo, te in hac causa æquum meo labori ac fauentem fore. Hoc vnum prius Senecæ

Maledicta conuitiaque iaculari non est disputantis, sed plebeium & indignum philosopho vitium & furoris indicium, tum debetes rem propositam examinare cãdide, & quantũ fieri potest, nihil alienum ab ea re dicere. Origen. lib. 10 contra Celsum.

Libelli huius causa, scopus, & institutum.

verbis te peramanter etiam atque etiam oro, vtinam patiaris exorari. *Quæramus scilicet quid optime factum sit, non quid vsitatißimum: & quid nos in possessione fælicitatis constituat, non quod vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit.* Cap. 2. de beat. vit.

optimum eligendum est non vulgatißimum.



TOTIVS OPVSCVLI

GENERALIS PARTITIO.

PRIMA RATIO ANTIQVITAS.

Sectio prima.

ANtiqua vestis Monasticæ à sæculari distinctio. fol. 1.

Sectio secunda.

De materia habitus priscorum Monachorum. 6
De Cilicio. ibid.
De pelliceis vestibus. 11
De lineis & laneis vestibus. 14

Sectio tertia.

De forma habitus antiquorum Monachorum. 18
De Colobijs. ibid.
De Birro. 20

Sectio quarta.

De pallio. 23

Sectio quinta.

De colore vestium. 33
De Albo. ibid.
De Nigro, pullo, siue grisco. 37

Sectio sexta.

Proprius & antiquus Carmelitarum color griseus tendens ad nigrum demonstratur. 51
Idem multiplici authoritate probatur. 59
Prima classis authoritatum continet nostri Ordinis scriptores. ibid.

ē


Secunda claßis externorum authorum, qui Grisco colori tamquam Carmelitarum proprio expreßè fauent. 64
Sectio septima. *Quantum Religiosis intersit, & propriæ cuiusque salutis à primorum institutorum vestimentis nullatenus si fieri potest, desciscere.* 70
Sectio octaua. *De zona seu Cingulo Religiosi.* 75
Sectio nona. *De habitu siue scapulari.* 80
Sectio decima. *De pallio seu cappa alba.* 95
SECVNDA RATIO OBEDIENTIA.
Sectio prima. *Expresso statuto iam olim griseus color Carmelitis imperatur.* 116
Sectio secunda. *Quid sequenti ætate circa vestimenti colorem à Superioribus nostris fuerit constitutum.* 125
Sectio tertia. *Nostra hac ætate griseus color reuera à Carmelitis ex Obedientia susceptus.* 132
Sectio quarta. *Decretum in Generali Capitulo latum de nigro colore in griseum commutando nobis significatur* 139
Sectio quinta. *Quâ prudentiâ & discretionis morâ Carmelitæ in Gallia Capituli Generalis dereto, necnon voluntati Superioris obsequentes, in hanc mutationem concesserint.* 146
Sectio sexta. *Tandem post triennij consultationem, accedente authoritate Regiâ, necnon sanctioris Consilij: iniuncta coloris mutatio effecta est.* 152
Sectio septima. *Hanc mutationem vestimenti etiam ex Iuris ac Iustitiæ legibus, nobis potuisse iniungi ab ijs quorum est authoritas probatur.* 159
Sectio octaua. *Dissolutis obiectionibus, à debito fine debitaque forma hoc decretum iustißimum esse demonstratur.* 169

TERTIA RATIO.	*Vniformitas.*	176
QVARTA RATIO.	*Pænitentia.*	189
QVINTA RATIO.	*Simplicitas.*	192
SEXTA RATIO.	*Paupertas.*	195
SEPTIMA RATIO.	*Humilitas.*	201
OCTAVA RATIO.	*Leges Charitatis obseruatæ.*	206
NONA RATIO.	*Scandalum euitandum.*	211
DECIMA RATIO.	*Exempla.*	217
Operis clausula in qua contra deprauatores veri explicatur tritum illud, Habitus non facit Monachum.		226

Nimis ociosum properanti cuncta errata colligere quæ à prælo irrepserunt, satis erit grauiora quæ sensum vel sententiam impediunt adnotare.

In præmonit. linea 5. effarata, lege efferata. folio 10. lin. 19. villissimum lege vilissimum. fol. 31 lin. 10 faciunt lege faciant fol. 40. lin. 2. carebat lege carebant. & lin. 19 validissimæ autoritatis. lege validissima autoritas fol. 42. lin. 7 lorem, lege colorem. & lin. 14. scholastico. lege scholiastico fol. 45 lin. 21. Chaldæis lege Chaldæi. fol. 83. lin. 13. flauus coloris constat, lege flauus nigro & russo colore constat fol. 88 lin 14. inter, lege internos & lin. 20. iura, lege pura. fol. 110 lin. 28 agnoscant, lege agnoscat. fol 112. lin 5. aut circumiectè, lege aut circumiectu. fol. 124. correctas & emendatas lege correctæ & emendatæ fol. 126. berimum, lege bærinum. fol. 131 lin. 20. vniformiter lege vniformitas fol. 138 lin. 4. maximisque mala, lege malis fol. 140 lin 6 magis mouendo lege monendo fol. 141 lin. 11. quanquam quia prudentissimus pater, insere quia sentit prudentiss. fol. 144 lin 17. cum & bostiæ. lege hostiæ. fol. 147 lin. vlt. optimam lege oportunam. fol 183. lin 28 Religionis partibus, lege patribus. fol 183 lin. 13. ideutitas, lege identitas fol. 200 lin. 15. nemo Regiosus, lege Religiosus fol. 204. lin penult. præcellentiæ, lege præcellentis. fol. 209. lin. 16. Congregationis, lege obseruantiæ. fol. 208. lin. vlt. sæpe lacessitis, lege lacessiti.

Extraict du Priuilege du Roy.



OVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, &c. Permettons au Pere Philippe Thibault Prieur des Carmes Reformez de Rennes, de faire imprimer à tel Imprimeur qu'il luy plaira vn liure intitulé *Expositio parænetica Regulæ Carmelitarũ per B. Patrem Ioannem Soreth Gallum, quondam Priorem Generalem totius Ordinis Carmelitarum & eiusdem vita.* & de plus vn autre liure nouueau intitulé *Typus vestis Religiosæ, &c. per Fr. Leonem à S. Ioanne Carmelitam Rhedonensem* autant de fois, & en tel volume & charactere qu'il aduisera bon, & deffences à tous autres qui n'auront droit de luy d'imprimer ou vendre lesdits liures l'espace de six ans entiers & consecutifs, sur peine de mille liures d'amende applicable moitié à nous, & l'autre moitié aux Carmes reformez dudit Rennes, confiscation des exemplaires, & despens des dommages & interests. Et si voulons que mettant par bref ou extraict le contenu du present priuilege au commencement, ou à la fin de chacun desdits liures, que cela aye forme de signification, tout ainsi que si l'original estoit monstré & signifié Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le troisiesme iour de Mars, l'an de grace mil six cents vingt & cinq. & de nostre Regne le quinziesme.

Par le Roy en son Conseil.

RADIGVES.


FRere Philippe Thibault Prieur du Conuent des Carmes de Rennes suyuant la permission à luy concedée au Chapitre general celebré à Rome l'an 1620. a permis à Ioseph Cottereau Marchant Libraire à Paris, d'imprimer les liures intitulez *Expositio parænetica Regulæ Carmelitarum, per Beatum Ioannem Soreth. &c. eiusdem vita.* & *Typus vestis Religiosæ. &c.* & de plus luy a transporté le susdit priuilege de sa Maiesté pour en iouïr selon sa teneur. Faict à Paris le 5. de Mars. 1625.



PRIMA RATIO ANTIQVITAS.

SECTIO I.

Antiqua vestis monasticæ à sæculari distinctio.



NTIQVIS ea semper fuit consuetudo Ethnicis perinde atque Orthodoxis, vt sæculi negotijs implicitos diuersa vestimēti siue materia & forma, siue qualitas & color ab ijs discriminaret, quibus incumbebat ex officio numinum altaribus & sacris vacare. Sanè quidem apud profanas etiam gentes, conscias licet vanissimæ religionis, sacerdotes à laicis vestibus distingui solitos memoriæ prodit Herodotus. Nec abludit Athenæus, vbi narrat solemne olim Græcis fuisse vestes eorum præ reuerentia tangere, quos proximè Deos venerabantur: existimantes videlicet eorum in vestibus, vim aliquam latere diuinitatis. Et quod melioris instituti professores attinet, ex antiquissimis Authoribus subtilissimus Areopagita Dionysius de *Sanctorum Monachorum, siue Terapeutarum indiuiduâ ac singulari vitâ*, sermonem insti-

In Euterpe.

Ethnici Sacerdotum vestimenta à laicis distinguunt.

Vestes præ reuerentia tangere.

Lib. 5. cap. 11.

Cap. 6. Ecclesiast. hierar.

Quid significat in religiosis vestis mutatio.

Christiani olim vestem mutabant in baptismo.

tuens, prioris vestis detractione, & alterius inductione significari insinuat, eos traduci *à mediâ sanctâ vita sacerdotum, ad perfectiorem*: vti tunc temporis post baptismi lustrales aquas, vestis mutatio veteris vitæ expiatio censebatur. Quod sanè mysterium non obscurè insinuatum mihi videtur à Cassiano, vbi omnem fastum mundialem abijci, illâ sæcularis expoliatione vestimenti perscribit. Hanc quoque similitudinem cum diuino baptismatis sacramento, expressiùs significatam animaduerto, sapienti apophtegmate senis illius notæ *inter præuidentes* illustrioris; qui quidem apud Smaragdum in diademate Monach. cap. 79. loquens in hæc verba introducitur; *Virtutem quam vidi stantem super baptisma, eandem vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accipit habitum spiritualem.*

L. 1. de Inst. c. 1.

Monachi prophetæ olim siue præuidentes appellati.

Cærimonia quæ fiunt in receptione religiosorum antiquißima.

ὁ μὲν ἱερεὺς ἕστηκεν ἔμπροσθεν τοῦ θείου θυσιαστηρίου, τὴν μοναχικὴν ἐπίκλησιν ἱερολογῶν, &c.

Quomodo tempore Apostolorum consecrabantur monachi

Initiandus stabat, iam genuflectit.

Iuuabit porrò sacri huiusce mysterij in monasticâ consecratione antiquitatem, contra Neotericos ex ipsius verbis Dionysij diligentiùs auscultari. *Sacerdos quidem stat ante diuinum altare, precationem quæ monachos attingit, recitans ac pronuntians: Is autem qui consecratur & initiatur, stat post sacerdotem, nec vtrumque genuflectit, nec alterum, nec caput habet suppositum à Deo traditis Euangelijs, sed tantùm præsto est sacerdoti, qui mysticam precationem pro ipso recitat. Sacerdos verò eâ perfectâ, cùm ad eum qui initiatur, venit; illum rogat, num remittat nuncium non solùm diuiduis distinctisque vitis, verùm etiam imaginationibus? Deinde perfectißimam ei vitam exponit, hoc pro testimonio dicens, eum mediam vitam superare ac transilire oportere. Quæ vbi omnia is qui initiatur, continenter professus*

De ea mutatione vestis vide Athan. lib. de virgin. Basil. ep.1. ad Greg. Chrys. hom. 69. in Mattheum. Tertul. lib. de velãd. Virg. Ambr. ep.36. & fusissime Cass. lib.1. institut. D. Gre. lib.2. dialog. cap.1. Decret. Nic.l.3. can.76. Lib.8. cont. Faustũ cap.9.

est se esse facturum, Sacerdos signo crucis eum consignatum tondet, appellans tres personas diuinæ beatitudinis: omnique veste detractâ, eum aliâ induit, & cum alijs sanctis viris qui adsunt, cùm eum salutauit, participem facit diuinorum mysteriorum.

Nuntium sæculo remittit, & à media vita ad perfectionem ascendit.

Signatus crucis signo tondetur: vestem mutat: præsentes salutat: Eucharistiam sumit.

Et diuus quidem Hieronymus scribens ad Paulinum de Monachorum institutione *Tunicam*, inquit, *mutas cum animo.* Pariter in vitâ sancti Pacomij, hunc tradit à Palæmone *habitu Monachi consecratum.* Refertque diuus Gregorius, Monachum quendam Romanum nomine, beato Benedicto adhuc in Ephœbis, *Sanctæ conuersationis habitum tradidisse.* Extat verò hac super re Niceni Concilij decretum in hæc verba: *Religiosi tum monachi, tum moniales, habeant alia indumenta & alios mores, quàm habent Laici.* Statuitque expresse Chartag. 4. Canone 104. distingui habitum laicalem abs religioso. Quam distinctionem adeò religiosè obseruatam voluit diuus Augustinus, vt contrauenientibus scrupulum inijciat peccati. *Inordinatè*, inquit, *viuere, & diuersi generis professiones velle miscere, vt vel sanctimonialis habeat ornamenta nuptarum: vel ea quæ se non continens nupsit, speciem Virginis gerat, omni modo peccatum est; & si quid inconuenienter ex diuerso genere, in vitâ cuiusque contexitur.*

Καὶ τὴν ἐσθῆτα πᾶσαν ἀπαμφιέσας, ἑτέραν ἀμφιέννυσι, καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν ἀνδρῶν ὅσοι πάρεισιν, ἀσπασάμενος αὐτὸν κοινωνὸν ἀποτελεῖ τῶν θεαρχικῶν μυστηρίων.

Debet esse distinctio inter habitum laicalem & religiosum.

Commutare habitus, & alienos gestare peccatum.

Quam etiam veritatem diffusè tradidit sanctus Basilius in reg. fus. disput. cap. 22. vbi docet Monachi peculiarem vestem, eius statum peculiariter designare; vt peculiaris quidam in vestitu est ornatus militis, alius Senatoris, itemque aliorum alius, vnde vt plurimum de dignitate illorum cuiusque

Cur religiosi peculiaris sit vestis.

ὡς ἔν ἐστι στρατιώτου ἴδιον ἐν τῷ ἐνδύματι, καὶ ἄλλο τῶ συγκλητικῶ, καὶ

ἄλλο ἄλλου, ἀφ' ὧν εἰκάζεται αὐτῶν.

Vestis diuersitas, arguit ordinis & dignitatis diuersitatem.

Specialis viduarũ vestis.

Tit. de aduocat. pa ragr. 2.

capitur coniectura. Iuris quoque ciuilis simul & Canonici dogma est, quod cultum corporis ordinis dignitati & officio, decet esse conuenientem: iubeturque idcircò meretrix, ornatu distingui à matronâ: virgo ab ancillâ, clericus à laico *D. cap. in audientiâ. Et ait D. Augustinus Epistola 189. Est quidam pro modulo personæ, habitus matronalis à viduali veste distinctus.* Atque sanctum Monachi habitum tanti æstimauit Iustinianus Imperator, eiusque discrimen à sæculari sic obseruatum voluit religiosè, vt *in authenticâ vltimâ* seuerè prohibuerit, *Omnibus generaliter in vita sæculari conuersantibus, & maximè theatralia exercentibus viris ac mulieribus, necnon ei prostantibus interdicimus vti schemate monachi aut monastriæ: aut ascetriæ, aut cuiuscumque personæ huiusmodi imitari schema: scientibus vniuersis præsumentibus aut vti tali schemate, aut imitari, aut illudere in quâcumque Ecclesiasticâ disciplinâ, quia & corporalia supplicia sustinebunt, & exilio tradentur; prouidentibus huic rei non solum locorum Episcopis, & qui sub eis sunt Clericis, sed etiam militaribus ciuilibusque iudicibus, & quæ sub eis sunt officijs & locorum defensoribus.* Imò & in religionibus plerisque, Nouitiorum habitus diuersus est à professorum vestimento, *cap. penult. de Regularibus*, vnde D. Franciscus cap. 2. Reg. vocat *Pannos probationis.* Ac illam quidem Tironum vestem, μικροῦ σχήματος Græci appellabant; alteram probatissimorum virorum μεγάλου & ἀγγελικοῦ σχήματος.

Reuerentia habitus Monastici tanta, vt legibus cautum sit, illum quoquomodo imitari.

Alia est nouitiorum vestis, alia professorum.

Menolog. Græc. cap. 19.

Iam igitur quemadmodum ex veteri adagione, *vina & vnguenta antiquitas commendat*: haud secus antiquissimam grisei coloris in ordine nostro an-

tiquitatem, quo Carmelitæ à cæteris differunt ac dignoſcuntur magnum habere robur exiſtimaui, vt nuper facta à noſtris patribus, mutatio iuſta perſuaderetur: nã ex philoſophi diſciplinâ *Omnem opinionem fides ſequitur, fidem perſuaſio, perſuaſionem ratio.* Hoc eſt, æqui iudicis maturique iudicij ſententia. Sed enim vt aquam bibamus in fonte, generaliùs hîc diſquirere, adeóque ex variantibus anthorum ſententijs ſedulò colligere viſum eſt, quænam fuerit olim apud antiquos Monachiſmi & Eremi cultores veſtium materia, forma & color: tum deindè ad noſtra ſpecialiter ſermo gradatim deflectetur. Sententia namque eſt Ariſtotelis præclariſſima, concinuntque Philoſophi omnes, humanæ mentis cognitionem à confuſâ quâdam & generis vniuerſali notitiâ, quaſi longiori ambitu diuagantem, in propriam deinde huius aut illius intelligentiam tandem finiri, quo fermè modo ſtatuarius aliquis imaginẽ aut ſimulachrum efformaturus ſuſpenſum machina ligni ſtipitem cædit primum, dolat, roncinat, mox ſcalpit peritiùs, læuigat: demum abſoluit, & natiuis lineamentis nec non propriâ artis concinnitate ad vnguem perducit.

Ariſt. l. 3. de animâ.

Partitio instituti.

Generalia priꝰ cognoſcimus quam particularia, & hæc nonniſi per illa.

Ars ſtatuaria.

SECTIO SECVNDA

De Materia habitus Priscorum Monachorum.

De Cilicio.

Diuersa inter monachos vestimentorum materia.

ATque vt à materiâ dicendi ſumam initium, ex veterum conſtat monumẽtis non vnam fuiſſe, ſed multiplicem: variam ſubindè, non eamdem ſimilemve; & pro regionum temporumque diuerſitate, vtique diuerſam. Porrò celebriorem vſum obtinuere cilicina veſtis ſeu ſagum, & diuerſæ animantium pelles. Nam & ſanctus Abraham Eremita eximiæ ſanctitatis, *Sago & cilicinâ tunicâ* indutus perhibetur in vitis patrum, & ibidem à D. Ioanne Damaſcen o Barlaam Ioſaphat regi Indiarum loquens introducitur in hunc modum. *Veſtes nobis ex aſperis ciliciis, & ouium pellibus ſunt vetuſtæ omnes atque ex varijs pannis conſutæ, imbecillam noſtram carnem atterentes. Etenim eadem nobis eſt tum hyemis, tum æſtatis veſtis, quam etiam vt ſemel induimus, exuere poſtea nobis non licet, quouſque vetuſtate confecta prorſus deleatur, ad hunc enim modum & frigoris & æſtus moleſtijs corpus affligantes, futuræ immortalitatis veſtem nobis comparamus.* Idẽque rogatus à principe *Cùm veſtem eam quam gerebat exuiſſet horrendnm Ioſaphat ſpectaculum ſeſe obtulit pannoſo porro ac perquam aſpero cilicio è lumbis vſque ad genua cingebantur, idemque pallium humeris geſtabat.* San-

De Cilicio.

Lib. I. ex ſancto Ephræm.

Barlaam Monachus ſuam Ioſaphat regi veſtem deſcribit & oſtendit.

In vita Ioſaph.

Beatitudo veſtis eſt immortalitatis.

In vita cap. 17.

ctum quoque Pacomium legimus *ad humiliandum corpus proprium, induisse se cilicio.*

In ca. 3. li. 1. institut. Cassian.

Quid sit cilicium & vnde dicatur.

Genes. 37. 2. Reg. 3. Hester. 3. Iudith 8. 4. Reg. 6.

Pœnitentiæ & calamitatis symbolum.

Decet autem annotare post dominum Alardum Gazæum Benedictinum multæ ac variæ eruditionis virum, cilicium (à quo cilicina vestis) à Cilicibus populis dictum, apud quos cilicia primum confecta: vestem esse horrendam & asperam, ex pilis Camelorum aut equorum tosilibus contextam: eandem verò frequentissimum in sacris paginis luctus, pœnitentiæ, aut publicæ symbolum calamitatis.

Cilium distinguitur à sacco.

Cilicij vsus.

Religiosi cilicio exterius superindui minime debent.

In panar. hæres. 8. & Baron. an. 361. n. 40.

Saccophori hæretici.

Et propius verò est, tametsi persæpè confundat lingua hebræa, in hoc tamen reuera cilicium distingui à sacco; quod hic vilis & sordidus, extrinsecùs dumtaxat gestaretur humilitatis & confusionis ergo; Cilicium verò intrinsecùs & super nudum indueretur, causâ afflictionis & carnis macerandæ. Ac licet cilicij vsus Christianis, maximè verò austeriorem vitam profitentibus monachis, quouis tempore fuerit vsitatissimus, vt constat ex diuo Basil. cap. 69. Reg. & nos suprà vidimus in vitis sanctorum, rursusque demonstrabo; vt tamē elationis vanitati, in humili veste sæpiùs stultè intumescentis obuiam iretur, & ad quotidiana opera monachus esset expeditior: meritò Cassianus cap. 3. lib. j. cœnobitas præsertim, cilicijs extimè prohibuit vestiri. Diuus quoque Epiphanius σακκοφόρους Monachos quosdam in Mesopotamiâ hæreticis annumerans, *alienum est*, inquit, *à Catholicâ Ecclesiâ saccus conspicuus.*

Etenim quemadmodum Religiosus ordo status

est pœnitentiæ, vt ait Angelicus Doctor, ita cilicina vestis (præcipuum videlicet austeritatis instrumentum) omni prorsus æuo pœnitentiam profitētibus in sæculo, nedum in claustro aut Eremo, vt mox dixi, vsitatissima fuisse comperitur. Nam vt aliorum series omittatur longissima, sanctū constat Elzearium comitem, ne inter lactantes curiæ delicias caro rebellaret, & quotidianis, iisque adeo domesticis vitiorum incentiuis mens in nefas propelleretur *Cilicium ad nudum corpus habuisse sub vestibus pretiosis, & in eo etiam sæpè ac sæpiùs dormiuisse.* Id expressè in sanctissimi illius principis vitâ adnotauit Surius; qui item memoriæ prodit S. Maximum Rhegiensem Episcopum, *teneros corporis sui artus perpetuâ cilicij asperitate domasse*, quo pro interiori tunicâ vtebatur. Nec verò remissior fuit in debiliori sexu pœnitentiæ amor, aut cilicij vsus infrequentior: quis nesciat sanctam illam Cæciliam Romæ tot miraculis inclytam virginem, vsque adeo austeritati addictam extitisse, *vt ne ipso quidem Nuptiarum die ciliciolum suum dimiserit*? Quantus feruor sanctæ illius Margaretæ Regis Hungarorum filiæ, quæ (mirum!) *Circa septimum annum asperum ad carnem cilicium ferre cœpit: & ad iacendum nocte habebat cingulum è pellibus hericij spinis horridum.*

S. Elzearij Comitis austeritas.

In Septēbr.

In Nouembr.

Etiam Præsules & Episcopi cilicio vsos notum est.

Mulieres etiā cilicio corpus afflixerunt.

Marul. l.3.c.10

Sur. in Ianuar.

Indè adeo minus certè mirandum videtur, si asper cilicij habitus, olim tantopere vsitatus fuit monachis, non Eremi modo cultoribus: verùm etiam Cœnobitis, ac vitam communem profitentibus. Quod in descriptione ordinis Monastici à diuo Martino instituti affirmat Seuerus Sulpitius; plerique,

Vestis Monachorum sancti Martini describitur.

De vita S. Mart. c. 7. que, ait, *Camelorum setis vestiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat.* Quæ verba in suis Pœmatis repræsentat D. Paulinus hoc modo.

Multis vestis erat, setis contexta Cameli,
Quæ leuibus stimulis vigiles contingeret artus;
Excludens tenuem compunctâ carne soporem:
Mollia ne fluxum nutrirent vellera corpus,
Lasciuæ & tenui vestis fluitaret amictu.

L. 1. de vita S. Mart. Imò & solutâ oratione verbisque adeo relatu dignissimis, totam Monastici indumenti compositionem depingit Epist. 7. ad Seuerum, vbi dissolutos Monachorum mores in luxuriosâ veste lasciuientes, multo cum felle, sed eleganti stilo perstringit. *Sibi ergo ille habeat armilansam suam & suas caligas, & suas buccas, quarum alia mutare, alia deducere timuit; non adeant & reuisant conseruuli & compallidi nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus ciliciis humiles: nec chlamyde curtalini, sed horrentibus sagulis palliati: nec baltheo, sed reste succincti: nec improbâ attonsi capitis fronte criniti, sed castâ informitate capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter semi-tonsi, & destitutâ fronte prærasi; & ornatu pudicitiæ inornati, & decenter inculti sunt, & honorabiliter despicabiles: cùm ingenitam quoque speciem corporis pro interiore cultu aspernantes, etiam studio deformantur, vt fiant prudenter inhonesti vultibus, dum perficiantur salutariter honestis mentibus.*

S. Paulinus Monachos qui neglecta prisci habitus simplicitate, molliores assumũt grauiter reprehendit.

Abrasio capitis in Monachis antiquissima.

Est aliquis in Religioso neglectus sui, & abiectio honestissima.

Enimuero hunc cilicij vsum, saguli, cinguli, decapillationis, nec nõ honesti haud minus quàm religiosi in exteriori cultu neglectus, ab ipsius autoris & Archimandritæ scilicet D. Martini exem-

plo fluxisse, non difficulter colligitur ex ipsiusmet Paulini verbis, quibus S. Martini indumentum describit in hunc modum.

Vestis S. Martini depingitur.

Quin & contexto setis coopertus amictu,
Excesa assiduo compunxit acumine membra,
Vt tereret tenuem vestis nimis aspera pellem;
Et cutis extentis stimulis attacta paueret.

Et lib. 5.

Rursum igitur setosi habitus, stimulisque reclinem
Consueti penetrare cutem, connexa rebellis
Vellere duritior, rigidis in vulnera filis.

Quis iam inter Religiosos mãseris cilicij vsus.

Atq; vt prætereat calamus RR. PP. Carthusianos, apud quos perpetua remãsit cõtinuaq; vestis cilicinæ gestatio frequentes sunt hodiéq; in claustro, & cũctis benè reformatis Ordinibus non quotidianæ austeritatis viri, qui familiarẽ cilicii ad carnem vsũ adhibent: vt dum iugi maceratione corporis vires deflorescunt, ingens mentis vigor, cum ardore pietatis efflorescat. Nam quod memoratur in Hispaniâ sanctus alter Dominicus, in Galliâ quoque sanctus Comes Pictauiensis Guillelmus, nouo austeritatis & audaci pœnitentiæ artificio, indumenta fabricasse sibi ex ferro & catenis: sic vt cataphracti apparerent, & inde S. Dominicus traxerit loricati cognomen; hoc inquam admirationem potiùs, quàm in huius frigentis æui tepiditate, imitationem mereri sapientissimi cuiusque & rectè de sincerâ perfectionis normâ sentientis opinio est.

Aliqui sanctorum ferro & catenis induti.

De pelliceis vestibus.

Gen 3. ANTIQVIOR est & vulgatior pelliũ vsus, adeóque ex officinâ ipsiusmet Dei, qui primos parentes & obedientiâ simul & innocentiæ stolâ exutos, non quidem arborum corticibus (quæ Theodori opinio est, & Gennadij) sed pellibus contra iniurias aëris cœlique inclemẽtiam contexit; nec illis ex nihilo creatis (quæ est Procopij coniectura) sed vel occisis animalibus, angelorum ministerio detractis; vel certè aliunde subitò transmutatis, & in speciem efformatis indumenti. Ita sentit eruditus interpres Cornelius à Lapide; qui & opportunè in rem nostram obseruat pelles hoc loco Hebræâ phrasi, or, naturales scilicet cum villis & pilis significare: quod familiare erat antiquis monachis vestimentum, vt de P. nostro Heliâ testantur Scripturæ. Et de sancto Benedicto refert D. Gregorius cognomento Magnus. Is enim vagantium errore pastorum, iuxta speluncam inter fruteta repertus, quia pelle hirsutâ pilis tegebatur fera minimè malis hominibus creditus est. Beatum quoque Nortbertum Ordinis Præmonstracensis sanctissimum Patriarcham refert Surius: *factâ horâ celebrandi officij, & singulis, qui ordinandi erant, sacris & albis vestibus, iuxta consuetudinem Ecclesiasticam locisque dispositis adfuisse, & Nortbertum in medio circumstantium populorum. Spectantibus verò cunctis & expectantibus, cùm ei custos*

4. Reg. 1.

2. Dial. c. 1.

In Iunio.

Pelliceарum vestium origo.

Quæ fuerint primorum parentum indumenta, cur dicta Chutinita, & an à Deo immediatè, an verò à primis parentibus Dei nutu & inspiratione contexta, examinat Moses Barcepha Syri Episcopi part. 1. Commentar. de Parad. tom. 1 Biblioth. Patr.

Pellium vsus. SS. Helias & Benedictus pellibus tegebantur.

S. Nortbertus sacris initiandus Agninam pellem induit.

sacrarij vestes offerret benedictas, quas vt & cæteri, ad ordines suscipiendos indueret: illum in cuius pectore Spiritus sanctus iam inchoauerat templum suum, conuertisse manum ad vnum de famulis suis, qui erat iuxta eum, & innuisse sibi præsentari vestem pelliceam Agninam, quam ad huiusmodi opus de industriâ iusserat præparari.

Quin etiam diu hoc vestium genus viguisse apud priscos Græcos, non minus quàm Latinos, sacros æquè ac profanos, historiarum contestantur monumenta. Nam & Græcâ linguâ periti, dormire deriuant ἀπὸ τοῦ δέρματος, eoquod antiqui dormirent in pellibus; & heroas pellibus seu exuuiis indutos, pariterque Romanos milites scribit Thom. Dempst. in Append. ad Antiq. Rom. Rosini. quæ causa fuit vt Hercules Tertulliano dicatur triformi compositione, *scytalo-sagitti-pelliger*: memorat de Hunnis Ammianus libro tertio, de Hungaris Iordanes, lib de reb. Get. capite quinto. Vnde *Reges pellitos* vocat Sidon. Apollinaris. Senatores etiam antiquitus in curia pellibus vsos tradit Acron ad satyr. quintam lib. 1. Horat. cuiusmodi fuit vestis primorum apud Romanos Senatorum, de quâ Proper.

Dormire vnde dicatur.

Heroes pellibus induebantur, Reges milites Senatores.

Herculis epithetum.

Lib. de pallio.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda Patres.

Et D. Hieronym. in Epitaphio Nepotiani meminit *Pellitorum turbæ populorum.* Et si Tertulliani scholiastæ fides habetur, Endromis vestis erat hirsuta & villi longioris, quâ in balneis & gymnasiis

Endromis.

Epist. 2.

præcipuè solebãt vti veteres. Exscribens vero Tartarorum mores, & cultum Ioan. Boem. sic habet, *Pelliceis vestibus quibus maximè vtuntur, pilos non occultant: carni applicant corium, pilos propter decorem videndos præbent.* Specialiùs autem in sacrificiis Bacchi, Nebrides pellibus Ceruorum solitos ornari vetus tradit historia.

Tartarorum vestes.

Nec id modo, verùm etiam de nostris disertè narrat D. Paul. ad Hebr. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* In reliquis nominatim D. Ioan. Baptist. qui venit in spiritu Heliæ, ea vestimenti ratio describitur Matthæi tertio capite. Nec inscitè tradunt mystici Patres, monachos olim de more pelliceis vestibus assueuisse, tùm vt isto exuuii genere mortuis animantibus detracti, meminissent sæculo mundique illecebris & vanitatibus se esse defunctos: tùm verò vt vile vestimentum in corpore, admoneret eos humilitatis in mente, cogeretque sæpius ingeminare tum Prophetâ, *vt iumentum factus sum apud te.* Ps. 72.

Pelles in sacrificijs adhibitæ.

Cur Monachi pellibus olim induebantur.

De lineis & laneis vestibus.

PELLIVM consuetudinem excepit præsertim in Oriente lini vsus, quam materiam colobijs monachorum præscribit Cassianus, aliam omninò interdicens, *nec laneis indumentis vtantur, sed lineis tantùm.* Quod ab ijs factitatum æstimarim, siue vt S. Iacobum fratrem Domini imitarentur, qui, vt author est Egesippus apud Euseb. lib. 1. cap. 24. solam syndonem lineam toto vitæ tempore induit, laneam vero numquam: siue vt eo vestis candore mentis innocentia & puritas designaretur: siu è etiam quod innuit Cassian. vt scirent Monachi mundo se esse mortuos, quandoquidem sua perindè ac mortuorum corpora, Christi etiam sacrum cadauer linteis videbant inuolui.

Lini vsus. — Lib. 1. instit. cap. 5.

Cur Monachi lineis vestibus olim tecti.

Quamquam certum est plerosque vbiuis gentium, à lineis vestibus vsquequaque abstinuisse, & laneis potius vsos, sicut hodie plerique omnes vtuntur Religiosi, tùm ob alias causas, tùm præcipuè ob maiorem vitæ austeritatem. Vnde & Innocentius. 3. vetuit ne Monachi etiam Benedictini, *Camisijs lineis vterentur.* Et in vniuersum Zacharias Papa 3. in epistola ad Pipinum, & Ecclesiam Gallicanam *De Monachis* ita præscribit. *Monachi verò laneo indumento semper vtantur* &c. apud Baron. anno 626. nu. 13. hinc est quod nostri Ordinis statuta per Reuerendissimũ P. Nicol. Audeth Gallũ prohibent *Ne quicquam à reformatis nisi laneum deferatur, & illius coloris cuius est Cappa vel tunica.* Nec no-

Lanæ vsus iam inter religiosos receptissimus.

Lib. 3. Decret. ca. cum ad monastic. de stat. monac.

Religiosis nominatim Carmelitis lini

bis circa corpus præter sudariola licet vti lineis. Gemina sunt quę legi in constitut. PP. Prædicatorum ordinis S. Dominici dist. 1. cap. 10. text. 2. *Lineis non vtantur ad carnem, nec etiam infirmi camisijs aut linteaminibus.*

vsus omnino interdictus. Sed omnia sunt lanea exceptis sudariolis & strophiis.

Camisias de lino sub pœnâ priuationis vocis & loci ipso facto prohibemus. *Statuta anni* 1357. *Camisias de lino sub pœna priuationis vocis & loci prohibemus statuta anni* 1467. *Romana vero an.* 1580. *Clementis Papæ 7. assensu, vbi lanea non possunt comparari, vsum stupæ & canapi ad conficiendas camiseas & linteamina ineuitabili necessitate coactis, toleramus, inquiunt.*

Nostra quoque tempestate Paulus V. Pontifex maximus 30 annorum indulgentias concessit ijs ex ordine Præmonstracensi, qui pro lineis lanea indusia gestarent, & nonnisi vestiti nocte somnum capere decernerent: ita refert pius & eruditus Dom. Seruantius de Lairuelz in Catechismo Nouit. tom. 1. lect. 17. Doc. 10. quem librum plurima de habitu Religionis luculenter & exquisitè continentem, non sine fructu perlegi, tùm cùm imprimendæ tenuis huius opellæ negotium incumbit.

Lanea tantum portãtibus indulgentia cõcessa.

Celebrè verò est in hoc lanearum vsu, quod de Vvolstano Episcopo Vvigorniensi tradit Ranulphus lib. 7. cap. 8. Polychronici. Is nimirum insignitæ virtutis Antistes, laneo vtebatur vestitu, eoque vilissimo, huiusque rei satis inusitatæ causam afferebat lepidissimo acroamate, quod videlicet non feles aut catus Dei, sed *Agnus Dei* in templis à precantibus cantaretur. Quid mirum ergo si laneorum vsus viris religiosis & spontaneam mendicitatem profitentibus tantoperè commendatur, omni aliâ delicatiori materiâ seueriùs interdictâ? accedẽte præsertim D. Hieronymi autoritate, qui virgi-

Lepidũ apophthegma Episcopi qui nonnisi laneis induebatur.

In epitaphio Paulæ.

Virgines olim lineis nusquã vtebantur.

nes sui tẽporis contestatur, linteamine ad tergendas solùm manus vti cõsueuisse, alibi semper lanâ purissimâ. Facit autẽ (quod iam insinuaui,) ipse Religionis status totus scilicet pœnitentiæ exercitijs consecratus, vt mollitudinem in vestibus aspernari debeant, contra sponte amplecti lanea indumenta. Hæc namque austeritatis instrumenta esse comprobat, Anonis Coloniensis Episcopi exemplum, quippe suorum iniuriâ pulsum è ciuitate, fortis & valida Rusticorum manus restituere aggreditur. Aggrestis tumultûs impetum veriti Colonienses, legatos misere, qui nefandi criminis veniam deprecarentur, & sponderent paratos se descendere ad omnia, causâ satisfactionis. Respondit Archiepiscopus dignè de perpetrato facinore pœnitentibus, veniam se numquam denegaturum. Quamobrem celebratâ apud sancti Georgij Missarum solemnitate, Eos qui Pontificem sede propriâ expulissent, qui Ecclesiam homicidio polluissent, qui templum sancti Petri hostiliter impetissent, qui cætera Religionis iura ausu barbaro temerassent Episcopali banno ad satisfactionem vocauit. Protinusque omnes nudi pedibus *laneis ad carnem induti* processerunt, vix & ægrè impetratâ pace abs multitudine, quæ circa Episcopum erat, vt hoc tutò facere sinerentur. haud secus videntur mihi austerioris vitæ professores, spretâ in vestimentis pompâ & mollitie si minus cilicij asperitate, humili saltem lanâ in speciem pœnitentium induti, diuinæ maiestatis numen placare, & iratas manus in scelerum vltionem armatas protinùs exarmare.

Gestatio lanæ pœnitentiæ nota est.

Historiam fusè descriptam reperies apud Surium in Decembr.

In

In summâ iuuat animaduertere circa hanc vestimenti materiam, vtilitatis iuxta & tenuitatis rationem imprimis haberi solitam, ab illis vitæ austerioris cultoribus. Quod non omisit D. Basilius epistola j. ad Greg. magnum, vbi totam religiosæ vitæ formam eleganti, stylo delineauit. Ad propositum verò, *tunica*, inquit, *sit eo vsque crassa, vt alio opus non sit integumento, ad calefaciendum corpus ea tectum*: & paulò post, *Cultus tenuitatem, & in genere indumentorum infimum* commendat. Nec dissentit D. Chrysost. hom. 69. in cap. 21. Matth. *amictus autem ipsis* (puta Religiosis de quibus sermo) *fortitudini suæ conueniens circumiacet. Etenim alijs caprarum, alijs Camelorum pilis vestes confectæ sunt, multis coria solum & ea vetustate consumpta satisfaciunt.* hactenus de variâ & multiplici vestis religiosæ materiâ.

Vtilitatem & tenuitatem in habitu debent amare religiosi.

ἀλλὰ μὴν καὶ παχὺ ἀπὸ τοσούτου ἔχειν ὁ χιτὼν ἐθέλει, ὡς μὴ δεῖσθαι κοινωνοῦ πρὸς τὸ θάλπειν τὸν ἐνδυόμενον, &c.

ἡ στολὴ δὲ αὐτοῖς, τῆς ἀνδρείας ἀξία. οὐ γὰρ δὴ κατὰ τοὺς ἐκλελυμένους ἐλκεχίτωνας καὶ τοὺς ἀνενευρισμένους καὶ διακλωμένους εἰσὶν ἐσταλισμένοι· ἀλλὰ κατὰ τοὺς μακαρίους ἐκείνους ἀγγέλους, τὸν Ἠλίαν, τὸν Ἐλισσαῖον, τὸν Ἰωάννην, κατὰ τοὺς ἀποστόλους· τῶν ἱματίων κατεσκευασμένων αὐτοῖς, τοῖς μὲν, ἀπὸ τειχῶν αἰγῶν· τοῖς δὲ, ἀπὸ τειχῶν καμήλων, &c.

SECTIO TERTIA

De forma habitus antiquorum monachorum.

De Colobiis.

Forma vestimentorum multiplex.

ED nec minus certa aut constans forma fuisse comperitur, quin potius pro diuersitate locorum, temporum, facultatum, aut variâ traditione maiorum, & cuiusque monasterij constitutione diuersissima. Hîc pauca è multis delibasse sufficiat, plura postmodum, & fusiùs in re nostrâ explicaturo; occurrit primò apud Cassianum lib. 1. cap. 5. mentio Colobiorum, quæ iam olim religiosis in Oriente præscripsit idem Cassianus cap. 5. & Tabennenses Monachos, *ingentis abstinentiæ viros* qui sub Ammonis Magisterio ad vsque tria millia arcanis Eremi mysteriis imbuebantur, *Colobiis indutos quasi saccis lineis, & desuper pelle confectâ à collo post tergum & latus descendente*, vetus Patrum narrat historia; commendatque ibidem D. Hieronym. sanctum Pacomium, quippe qui *in tantum vestimentorum penuriâ simul cum fratre germano sese constrinxerat, vt nunquam Lebitone alio vterentur, nisi cùm indumenti sordes & necessitas coëgissent eluere: lebiton autem linea vestis erat instar colobii*, ait Hieronym. *qua Monachi induuntur hodieque per Thebaidem & Ægyptum*, hæc cap. 14. Iubetque Angelus cap. 22. à quo cœlitus tradita

Quid sit Colobium.

S. Hier. l. 1. vit. Patr.

Lebiton idem quod Colobiũ.

hæc Pacomio regula fuit, Monachorum quibus diuinâ voluntate præficiendus erat, multitudo noctibus, *lebitones lineos indueretur.*

De colobiis Isidor. orig li. 19. Caff. li. 1. c. 5 Marian. Victor. in D. Hie. Herib. Rosuehydus in onomastic. Rufin l 11. Vitar. par. qui colobia vocat saccos lineos.

Colobij ethymologia.

Ea porro vestis ita ab authoribus depingitur, vt dicatur, ἀπὸ τοῦ κολόβου, quod breue, mutilum, siue mancum significat: quæ paulo longior manicis carebat, vt pote infra cubitum desinentibus; similis fermè cucullæ, nisi quod cucullo caret. Atque istud vestimenti genus ipsis olim Senatoribus solemne fuisse indicat D. Hieronym. *Nullus Senatorum habitum sibi vendicat militarem, sed chlamidis terrore deposito, quieta Colobiorum & penularum induat vestimenta.* Huius expressior figura datur intueri in dalmaticis seu tunicellis, qui sacer Diaconi Subdiaconique cultus est in Ecclesiâ, dum altari operâtur. Itē in extima nostrorū Regū tunicâ ac paludamēto.

Senatores olim colobiis vtebantur sicut & Monachi. Dalmatica.

Penula.

Nec multùm fortè dissimilis (φαινόλιον) penula hoc est (Tertulliani interpretamento) sacerdotis casula, quam Troadem sibi per Timotheum afferri iubet D. Paul. dum Romæ carceribus ad mortem teneretur. Et hæc ab humeris pendens si totum corpus circumquáque inuoluebat (quod placet nonnullis) à Colobij perfectâ recedit similitudine; quippe quod sicut & Dalmatica, funiculis seu fasciolis filo laneo contextis (rebrachiatoria vocat Cassianus) hinc & inde pendētibus sub axillis, inferius laxiusq; circa pectus & lumbos succingebatur; & circūcingebatur vt fermè iā consueuimus vestes ad cingulū coërcere, ne impedimento sint opus aut iter agētibus. Verū si sit cōiecturæ locus, antiquorum colobiis iam in nostris vestibus non

Quaenam manserit in nobis colobiorum similitudo.

procul respondere existimem inter mediam tunicam quæ intimâ longior, breuior verò extimâ labori paratiores reddit: in hoc nimirum discrepant, quod familiares iam religiosis huiusmodi tunicæ, ad vsque scapum manicis decenter protenduntur, & asperiori lanâ non vt olim è lino confectæ sunt.

De Birro.

Birrus.



SVCCEDIT Birrus noua species indumenti, quæ modico discrimine sæpius à doctis cum lacernâ confunditur: estque breue tegumentum cùm ad arcendas pluuiæ iniurias; tùm verò ad humeros brachiaque tegenda compositum. Græci amphimallum quasi ἀμφίβαλον, siue ἀμφίβολον, quod in orbem humeros contegeret: Latini eâdem de causâ teres appellant, vt notat Scholiastes Iuuenalis, qui birri vetustatem simul & inuentionem Gallis putat à Poëta hoc versu assignari.

Amphimallum.

Cucullus.

Tempora santonico velas adaperta cucullo. Sat. 8.

Villissimum porrò apud prophanos vestimenti genus, vt insinuat illud Egeriæ Poëtriæ.

Nobilis horribili iungatur purpura birro. In Epigrammat. l. 4

Et hoc ipso vel maximè aptum siue conueniens religiosæ paupertati.

Clerici imo & Episcopi birro vtebantur.

Quamquam fuisse huiusmodi habitum etiam clericalem, & Ecclesiasticum; nec modò clericis inferioribus, sed Episcopis etiam vsitatum in splendidiori materiâ non obscurè colligitur, ex 50. concione vbi ita scribit D. August. *Nemo det birrũ*,

vel lineam tunicam, siue aliquid, nisi in cōmune. Et paulò post, *offeratur mihi verbigratiâ, birrum pretiosum, fortè decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum, id est hominem pauperem de pauperibus natum.* Meminit etiã D. Greg. Turon. in vitâ S. Britii, quo loco indignissimo crimine accusatum Episcopum, *Prunas ardentes in birro suo posuisse, ad declarandam animi sui innocentiam* testificatur. Et Heraclides cap. 51. de D. Athanas. Episcopo sic habet, *tunicâ ille tantum suâ birroque vestitus.* Quod Baronium historiæ principem induxit, vt crederet Episcoporum antiquum fuisse habitum, vt primò vesti communi superinduerent lineum indumentũ, quod vulgò Rochettum vocant, & desuper solutam tunicam manicatam, ac deniquè humeros tãtum tegens, & brachia birrum, quod à breuitate appellat *Palliolum* Fortunatus, vbi agit de S. Germano Episc. Parisiensi. quo genere indumenti hodie videmus vti S. R. E. Cardinales, atque Episcopos illos qui è monasterio ad pedum & infulæ honorem assumuntur. Nobis certè non alia birri imitatio superesse videtur, quam pannus ille qui à caputio capitis inuolucro ante orbiculari formâ, retro desinens in acumen summas scapulas hinc & inde circuntegit, caparonem aut floccum posses appellare; nisi dicas quod docent bene multi, à birro biretum deriuari, paruũ nempe capitis tegmẽ Gallis olim, iamq; religiosis vsitatũ.

Hinc fortè cõstaret clericos vsos in Africa linea tunica ideoque alba.

Sciographia indumenti Episcoporum.


Palliolum.

Caparo noster (chaperon) *refert aliquomodo birri similitudinem, sicut Mosseta Episcoporũ.*

Biretum.

Birrus aliquãdo significat non vestis speciem, sed subaudito substantiuo colorẽ rufum, griseum, aut castaneum

Cæterùm eius quam discutio de genuino Carmelitici habitus colore quæstionis plurimum intererit, vt solerter animaduertas quod referunt acta passionis sancti Cypriani Carthaginensis Episcopi. Is ni-



aut rosa siccæ, similis nostro Carmelino. L'habit de dessus appellé *lacernum birrum*, ou simplement *birrum* (le Camail ou Mossete) c'estoit parmy les Payens vne sorte de manteau court, pour sauuer de la pluye, qui ne couuroit que les espaules, & les bras, & se souloit porter par dessus la tunique, estant appellé *birrum* en ces actes icy, à cause de sa couleur enfumée, ou de minime.

mirum pro Christi fide lictoris gladio dum caput præparat, primùm exutam sibi tunicam, suis Diaconis reliquit; mox *Lacernum birrum* detrahens ad genua complicuit, vel si maior Possidonij fides, carnificulis tradidit. quem locum subtiliter expendens Heribertus Rosuueydus notat ex Festi doctrinâ in verbo byrrum apud antiquos *Rufum colorem* siue subrubeum dictum esse birrum, ac proinde lacernam illam siue palliolum Episcoporum rufi fuisse coloris, qui à nostro griseo nullatenus distinguitur *birrum siue burrum*, inquit Festus, *dicebant antiqui, quod nos rufum.*

In onomastico verbo birrus:

Et auget coniecturam constans eorum opinio, qui rimantes nominum Ethymologias, *birros* dici affirmant, quasi πυῤῥὸς Græco, π, verso in, b, latinum; eo quod nimirum color ille flauescentem, rubescentem aut obscuram nigricantemque ignis flammam, fuliginemve vtiquè videtur imitari: quò indubiè respexit Martialis dùm de Gallis, quibus birri vsus admodum fuit familiaris & prisco æuo penè proprius, ita scribit.

Claudius Saluia. in notis ad Flau. Vopisc.

———— vestitur Gallia ruffis,
Et placet hic pueris militibusque color.

La version des Annales de Baronius en François à l'an 261.

Atque ea propter si certissimâ fide historiarum nobis compertum est ex Cassiano, birrum indumentum fuisse monachis vsitatissimum: certè non omninò à veritate alienum erit, vel ex hoc capite, iam tum Religioso vsu birrum, hoc est rufum griseumve colorem inualuisse. Verùm hæc accuratius, si vltimum de pallio quod controuersiæ necessarium est, breuiter subiunxero.

L. 1. c. 7.

Griseus color quem resumunt Carmelitæ antiquis monachis vsitatus.

SECTIO QVARTA.

De Pallio.

HVIVS *super omnes augustæ vestis, super omnes exuuias & peplos, superque omnes apices & titulos*, vetustatem, simplicitatem, frugalitatem, vtilitatem & commoda longiori tractatu celebrat Tertullianus. Hoc porrò Græcis pallium, quod toga Latinis, vestis scilicet oblonga, simplex & expedita, quæ nullo tædio, sed facili onere in humerum adhærens, vno circumiectu totum hominis corpus circumtegit. Palliati apud Gentiles fuere Philosophi, Rhetores, Grammatici, Musici, Poëtæ, Medici, & vt verbo dicam, omnes eminentioris vitæ ac disciplinæ professores; quo factum est vt Christiani deindè, frugalitatis & melioris scientiæ discipuli, Religioni Christianæ nomen dantes sæpissimè pallio vestirentur. Facilè namque Cardinali Baronio assentior, & Conciliorum collectori Seuerino Binio, qui ambo constanter affirmant; solos austerioris vitæ cultores, & qui anteà summæ fuerant apud Gentiles authoritatis, pallio vsos esse: docente præsertim Tertulliano eundē fuisse Christianis & Gentilibus habitum. D. quoque Cypriano, qui scribit Christianos nequaquam solere incedere palliatos, sed simplici ac communi cum cæteris indumento.

Pallij descriptio & prærogatiua.

Toga.

Quinam olim pallio induti.

Omnes Christiani indiscriminatim non erant palliati.

Vnde facilè datur intelligi Monachis quoque in

primitiuâ Ecclesiâ vsum pallij fuisse familiarem. *Monachis pallij vsus.* Quod tetigit D. Hierouymus epistola 22. ad Eustoch. *per humeros hyacintina laua mauorte volitans.* *Mauors siue Mafors.* Mauors enim siue Mafors, ex Cassiani, & Mariani Victorini descriptione, pallij genus est vile & angustum, quo virgines & Monachi collum simul & humeros tegebant. Quamquam hæc potius vestis affinitatem videtur habere cum birro (licet etiam fortè nonnihil differat) quam cum pallio quod & latius erat & longius, recurrens fermè *Cappa.* cum cappâ, quæ nunc nobis est in vsu, vt fusiùs infra. *Cæterum*, inquit Baronius, *videtur pallium paulatim à communi fidelium vsu desciuisse, & monasticam vitam profitentibus cessisse.* Anno 57. nu. 97. Quibus sanè verbis *Pallium non primò pertinuit ad monachos.* innuit pallium illud, cuius potissimum meminerunt Historiæ Ecclesiasticæ, prius pertinuisse ad Christianos sæculares, quàm ad Monachos cultoresve Eremi; hosque postmodum pallij possessione, quasi vsucapione sibi vendicasse. Vnde meritò dixerim in hâc secundâ pallij mutatione, quod de primâ eloquenter vsurpauit Tertullianus, *Gaude pallium & exulta, melior iam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum* dicam ego monachum, *vestire cœpisti.* Lib. de pallio sub fin.

In quo mihi videtur monendûs lector, quod *Non constat pallium semper fuisse nigri coloris à tinctura.* tametsi concesserim pallium de quo tam sæpè Hieronymus & alij fortè fuisse tincti nigri (quamquam etiam fusci coloris & minimè tincti depingitur) non tamen inde statim consequens est, omnes monachos semper fuisse nigro tincto conuestitos, cùm antea vt minimum natiuo nigro vterentur.

vt exẽplis ad marginem citatis apertè conuincitur: Deinde etsi tinctus niger hîc cõcedatur, palliũ veſtẽ dũtaxat exteriorẽ, nõ verò interiorẽ reſpiciet. Tandẽ noſtri PP. Carmelitæ iam tum Heliæ veſtigiis inhærẽtes, pallio albo ad ipſius inſtar Patriarchæ, non autem nigro vtebantur: quod infrà apertè oſtendam ex Ioanne 44. vnde ſaltem liquet nũquam Carmelitas nigro tincto fuiſſe indutos, quandoquidem iſte color, vix aliàs pertinebat ad Monachos, quàm ratione pallij, quod tamen album, ſeu candidum, noſtri Patres ſemper geſtauere.

Et de fait la cuculle de S. Bernard qui ſe garde en l'abaye de S. Victor à Paris eſt de gris brun naturel ſans teinture & le ſcapulaire de S. Mayeul qui ſe voit au prieuré de Sauuigni à deux lieux prés de Moulins en Bourbonnois, eſt auſſi d'vn brun enfumé qui tire vn peu ſur le roux & iaunaſtre Laurent Bernard. Paræn. 15. regular. Polit.

Hanc porrò multiplicem veſtimenti formam ſuccedentibus deinde ſæculis Religioſi variè ac multipliciter ſunt imitati. Id quod de antiquioribus illis Monachis pulchrè tradidit S. Germanus Archiepiſc. Conſtant. hac verborum ſerie. *Monachalis habitus eſt ad imitationẽ cultoris, & quaſi ciuis deſerti Baptiſtæ Ioannis, quia indumentum eius erat ex pilis Camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius. Radi verò toto capite ad imitationem fit ſancti Apoſtoli Iacobi domini Fratris, & Pauli Apoſtoli, & reliquorũ, et c.* Fuſiùs etiam & ipſum planiùs myſticũ veſtis Monaſticæ ſignificatum delineauit B. Dorotheus, verè donum Dei nuncupatus; *Diſcere debemus, inquit, quæ vera ſit abrenunciatio, & ad quid profecti ſimus in Monaſterium: quidque nobis innuat habitus noſter, atque illi nos adaptare & conformare, certareque pro virili parte vti Patres noſtri. Habitus noſter is eſt, Tunica abſque manicis, & zona pellicea, analabus, & cucullus. Hæc autem ſigna ſunt omnia. A nobis igitur perdiſcendum eſt,*

τὸ μοναχικὸν σχῆμά ἐστι κατὰ μίμησιν τοῦ ἐρημοπολίτου, καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου, ὅτι τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἦν, ἐκ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνη δερματίνη, &c

In contemplatione rerũ Eccleſ. tom. 1. Bibl. Patr.

quid hæc habitus nostri signa præ se ferant. Ut quid autẽ tunicã feramus absque manicis, cũ cætera quæque manicas habeant? Quid manicas non habemus? manicæ signa sunt manuum: manus autẽ ad practicen pertinent. Cum igitur surrepit nobis cogitatio aliqua operãdi & agẽdi quippiam, per pristini hominis manus, ut pote furari, vel verberare, atque, ut dicam breuiter, peccatum aliquod patrare cogitas, aduertamus tunc oculos mẽtis ad habitum nostrum, discamusque abesse illi manicas, id est, non habere nos manus ad operandum quippiam pristini hominis. Infrà verò paucis interiectis de signo purpureo, quo in tunicis apparente, significabant Monachi militare se Deo, & Christi antesignani sui purpuram imitari, subiungit. *Habemus autem & zonam pelliceam circa renes nostros. Id signum est, ad opus quodque accincti, ut quamprimum simus & parati. Laboraturus enim quis primò accingitur, & sic demùm opus aggreditur, ut dicitur accingimini renes vestros, mortificati quoque corporis signum est. Habemus & Analabum. Analabus, seu succinctorium, in crucis modum ponitur. Super humeros autem nostros crucis signum deferimus, ex eo quod dicitur, Tolle crucem tuam, & sequere me. Quid est aliud crux, quàm vera mortificatio quæ à nobis erigitur per fidẽ quam habemus in Christum? Fides enim ut dicitur rursus in libro senum, amouet semper & repellit quæcumque sunt impedimento, & liberam nobis reddit operationem, quæ nos ad perfectam hanc mortificationem deducit, id est, ut se ipsum quisque sæculi rebus omnino exuat, & earumdem pariter amore atque affectione. Reliquimus enim certatim parentes, reliquimus agros, possessiones, pecunias, & quæcumq; nobis fuerant abrenuntiauimus; abrenũtiemus pa-*

τὸ σχῆμα ὃ φέρομεν κολόβιόν ἐστι, μὴ ἔχων χειρίδια, καὶ ζώνη δερματίνη, καὶ ἀνάλαβος, καὶ κουκούλιον, &c. doctrina 1. tom. 1. Biblioth.

Vestis Monastica sine manicis quid significet.

Tunica purpureum signũ.

Zona pellicea quid significet.

Analabus Monasticus ad quid excitet.

ἔχομεν καὶ ἀνάλαβον. ὁ ἀνάλαβος τίθεται σταυροειδῶς ἐπὶ τοὺς ὤμους ἡμῶν τουτέστι, τοῦ σταυροῦ τὸ σύμβολον βαστάζο-

riter & affectui, sicque perfecti erimus abrenũtiatores. Ferimus & cucullum, quod innocentiæ signum est, & puritatis. Pueri enim paruuli cucullum ferunt, non viri perfecti. Nos igitur ideo cucullum ferimus, vt paruuli simus malitiâ. Quemadmodum monet Apostolus, Nolite sensibus paruuli esse: malitiâ paruuli estote. Quid autem significat malitiâ paruulum esse? Paruulus sine malitiâ à quocunque spernatur, non irascitur: honoratus non effertur in gloriam vanam, priuatus aut spoliatus propriis, nõ affligitur. Paruulus enim malitiâ, non etiam iniuriam vlciscitur, non affectat gloriam. Est & cucullus signum gratiæ Dei. Quoniam quemadmodum cucullus tuetur & fouet pueri caput, sic & gratia Dei mentes nostras defendit. Est igitur signum gratiæ Saluatoris nostri tuentis caput nostrum, & circumfouentis quę in Christo est syncerìtatem, ob Dæmones qui nos continuò aggrediuntur, vt percutiant & vulnerent. Habemus & zonam ad lumbos nostros, signum sanè mortificãdi irrationabilis appetitus nostri. Et Analabum, id est, scapulare in humeris, quod est crux. Ecce & cucullum innocentiæ, & puritatis Signum. Conuersemur igitur ex habitu nostro, vt dixerũt Patres, ne alienum habitum feramus: atque vt magna dimisimus, ita parua relinquamus: dimisimus mundum, dimittamus pariter & illius affectiones.

μεν εἰς τὺς ὤμους ἡμῶν, καθὼς λέγει, ἆρον τὸν σταυρόν σου καὶ ἀκολούθει μοι, &c.

1. Cor. 4.

Cucullus quid significet.

paruulus malitia quis sit.

Zona.

Debet Monachus viuere iuxta id quod ex habitu docetur.

Postmodũ D. Benedictus Reg. cap. 55. suis ita præscribit. *Nos mediocribus locis sufficere credimus Monachis per singulos, cucullã & tunicam: cucullam in hyeme villosam, in æstate puram, aut vetustam; & scapulare, propter opera.* Quem locum explicans Anthonius de Yepes, ait, vestem cuius meminit S. Benedictus; respondere antiquorum tunicis: palliis verò cu-

Vestimenta Benedictinorum.

in Chronico ordinis S. Benedict. c. 5.

cullam, quæ est velut cappa aut toga, quam etiam flocum appellant, fortè quia ampla cuculla, quæ largiter fluctuans totum corpus tegit circum quáque; vel melius, vt coniectat P. Laur. Bern. quia ex lanâ fiebat villosâ & minimè attonsâ. Et hanc vestem communem omnibus olim Christianis ætate D. Benedicti, quidam fuisse putant apud Rhenanum, in argumento scholastici, seu libelli, qui de pallio inscribitur à Tertul. retulitque idem Auctor Benedictinus. Atque his quidem Monachis forma vestis clarè decernitur in Clement. *sit etiam vestis ipsa rotunda per circuitum, & non scissa, nec longitudine nimiâ, aut breuitate notanda: largas etiam manicas habeat, vsque ad pugnũ protensas, non consutitias, vel quomodolibet botonatas, &c.*

in polit. regular. c. 15. P. Laurent. Omnes olim Christianos indutos fuisse, etiam ut Benedictini referunt authores.

l. 5. de statu Monac. c. 10.

Iam verò RR. Patribus Dominicanis cõstitutiones Ordinis cum suis declarationibus, formam & materiam habitus præscribunt in hunc modum: *vestes autem laneas non attonsas, vbi hoc seruari poterit, deferant fratres nostri; vbi verò seruari non poterit, vtãtur vilibus, & potius vilitas in cappis seruetur. Lineis non vtantur ad carnem, nec etiã infirmi.* Hæc de materia textu primo. Secundus autem de forma sic habet, *Tunicæ circa cauillam pedum, sufficit vt descendãt: scapularia circa coopertúram genuum: cappa verò breuior sit tunicis, saltem quatuor digitis.* Et hanc vestimẽti rationem tàm iuxta colorem, quàm secundum formam eâ nimirum de causâ à S. Dominico electam, & in suos deriuatam referunt eiusmet Ordinis historici: quod typum illius sanctissima Virgo Deipara B. Reginaldo, qui etiamtum Aurelian.

Dominicanorum indumenta.

Tunica. Scapularis. Cappa. Linum vetitum.

Cur tali colore & forma in vestibus vtantur Dominicani.

Seraphinus Razzi in legẽda ordinis S. Dominici.

Ecclesiæ Decanus, Romæ graui ex morbo decumbebat, in visis commonstrasset. Vnde mox diuinitùs conualescens, voluit in nouum Ordinem bonis auibus ascribi.

Cum his concordant qui abs D. Augustino originem trahunt, Eremitæ Augustiniani. Eadem enim vtrisq; Regula, & similis interior habitus, pallium duntaxat, seu cappa discrimen inducit; Nam Patribus quidē Augustinianis, speciali decreto denunciatū est ab Alexan. 4. anno D. 1255. *vt in vnum omnes coüniti nigris duntaxat, & nullius alterius coloris cucullis, aliquatenus vterentur.* Ibidem confirmat diploma Gregorij Papæ 9. qui antea dicti Ordinis Patres, *nigro ab eis electo voluit manere cōtētos, largas & protensas manicas quasi ad instar cucullarum, & desuper ipsas deferre peramplas corrigias, & patenter omnibus apparentes.* Vel vt potius S. Anthoninj verba vsurpem, *Sedes Apostolica aspiciēs ad primariam Ordinis originem, habitum superiorem eis determinauit, imò veriùs dudum per S. August. determinatum declarauit.* Sanè quidem idipsū pluribus disputat eruditus author P. Nicolaus Crusenius, Monastici Augustiniani c. 17. vbi Beatum Patrem Augustinū cucullo nigro, lataque corrigia, vti iam apparent illius posteri, indutum fuisse validissimè contendit. Quo etiam loco obseruat nominatim, hunc Diui Augustini *habitum, nigrum fuisse natiuum, non tinctum, neque accidentaliter coloratum, quem animalia Affricana nigrum vellus, plerumque gerentia, præbebant.* Hunc namque natiuū colorem (quod in hoc tractatu latiùs demonstro) Monachis olim,

Augustinianorum vestis perantiqua.

Abraham Bzouius in annalibus. 1251. Num. 7.

3. part. c. 14

Antiquitas vestis Augustiniana.

S. Augustinus Cuculla nigra & coriacea Zona vtebatur.

Proprius & antiquus monachorum color erat niger naturalis

et quidem omnibus ab antiquo proprium fuisse confirmat pluribus authorum testimoniis, pictorum imaginibus, ipsius D. Fulgentij exemplo, cuius subtùs *palliũ nigellum* ab eius vitæ auctore describitur; tandem expressâ illust. Baronij auctoritate.

Atenim D. Franciscus rigidus ille pauperatatis obseruator Ordinis sui professores, *iubet habere vnã tunicam cum caputio, & si voluerint pro necessitate aliam sine caputio illis concedit.* Quod porrò huius tàm caputij, quàm tunicæ formam attinet, Roussérius, & Blancona Minoritæ, scribunt eam fuisse, quam nunc videmus à RR.PP. Capucinis deferri; similemque esse ipsius Sanctissimi Patriarchæ vestiméto, quod etiamnum in gazis Magni Florentiæ Ducis asseruatur: adeóque imagini ab Abbate Ioachimo, ante quingentos annos depictæ supra portam thesauri sancti Marci apud Venetias, nonnullorum relatio est.

Habitus Frãciscanorum. Roussérius q. 3. in c. 2. Reg. s. Francis. Blãcona in Chronica FF. Minor.

Non omittam Reuerendos Patres è societate IESV, qui auctore Sãctissimo viro Ignatio de Loyola, proximis annis plaudentibus Diis & hominibus in sanctorum album adscripto, id habent in instituto peculiare, vt præcisè huic aut illi vestis formæ non astringantur, Sed quæ Regionis in qua versantur, Clericis tantisper consentanea sit; quò meliùs insinuare se queant in exterorum conuictum & familiaritatem, nullo vestis horrore dissimiles. Franciscum certè Xauerium alterum solem Religiosæ Sodalitatis, & eximium Indiæ Apostolum narrat Turselinus, vestitûs splendore, quem cæterà auersabatur plurimum, aditum sibi fecisse

PP. Societ. Iesu nihil habẽt determinati in vestimentis.

Ribadneira l. 3. vitæ s. Ignatij c. 21. in vita l. 47 & l. 5. c. 14.

S. Xauerius oportunè preciosè induitus.

ad Amaguncij Regem, aliosque Iaponiæ & Indiæ proceres: & post mortem Carbasinâ veste indutum, quam ille secum in Sinas detulerat, eo consilio vt illâ, gentis more amictus, Sinarum Regem adiret. Optauerunt scilicet dicere cum Apostolo,
1. Cor. 9. *omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Ac licet D. ipse Ignatius, & S. Franciscus Xauerius, Cannabinâ primùm veste & pannosâ gauderent insigniri, suis tamen honestatem in vestitu, ac mundiciem non parum commendauerunt.

In quo certè animaduerti par est, illud ab antiquo extitisse Religiosis institutum, vt vilitatem simul & honestatem, decoremque in habitu coniungerent. Certè vilitatē optimè videtur expressisse D. Basil. in hæc verba, *habitus neglectus, vestis sordida adeò, quæ lugentes consultò meditatóque faciant.* Et paulò post, *tunica cinctu appressa sit, & corpori adstricta.* Et D. Hieron. Rustic. Monachum docet, *sordidas vestes, candidæ mentis indicia esse.* Idem rursus epistola 3. ad Heliod. *de Nepotiano, exceptâ vili tunicâ, & operimento pari, quo tecto tantum corpore*
Matth. 16. *frigus excluderet, nihil sibi amplius reseruauit.* Regula verò D. Francisci sic statuit, cap. 2. *Fratres omnes vestibus vilibus induantur, & possint eas repetiare de saccis & petiis cum benedictione Dei.* at ex aduerso l. 1. de vitis Patrum refertur de antiquis illis eremi incolis, quod in eis nullus sordidis vtebatur vestibus, sed splendore vestium atque animorum nitebant. Nostra quoque sanctissima mater Virgo Theresia, munditiē & religiosum decus suis enixè commendat, quod non semel nostræ inculcant Con-

Monachi colunt in vestibus vilitatem simul cū munditie & honestate.

σχῆμα ἠμελημένον. κόμη αὐχμηρά. ἐσθὴς ῥυπῶσα (ὥστε ἅπερ οὐσιν οἱ πενθοῦντες κατ' ἐπιτήδευσιν, ταῦτα ἐκ τοῦ αὐτομάτου ἡμῖν ἐπιφαίνεσθαι) χιτὼν διὰ ζώνης προσεσταλμένος τῷ σώματι.

Carmelitæ tunicam lanæ non preciosæ, sed mediocriter asperæ gestare assueuerunt Ioan 44 c. 38. Insti.

stitutiones & statuta.

Ex quo datur intelligi nobis & quod lautum, & quod lutum nimis redolet, pari diligentiâ esse fugiendum: lautitias, ne deliciæ quærantur in ciliciis: luteas verò sordes, ne negligẽtis animi indiciũ & parum sibi præsentis, oculos offendat sæcularium. Ac primum illud expressé prohibuit D. August. in Regulâ, *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.* Sordes verò indecoras & neglectum sanctus Ephrem, vbi redarguit vestimentum supra genua sublatum; nam vestes ad talos demissas, vt iam nobis, ita tùm illis reuerentiæ signum fuisse, notat eius interpres Gerard. Vossius. Accedit D. Bonauent. bonus religiosæ iuuentutis formator, *fœda*, inquit, *Religio, quæ innititur fœditati: culpatur quidem & cultus munditiæ nimius, & neglectus.* Tradit quoque Cassianus Monachos suos, vestimenta gestare consueuisse, *nullis affectatis per incuriam sordibus decolorata.*

Sordes & luxum in vestibus fugere debent Carmelitæ.

Talares vestes deferre est honestum religioso.

Placet ergo in Religioso, maximé verò Carmelita, quod de primis olim Christianis gloriosè dicebatur, vt videlicet simplicitati religionis, respõdeat simplicitas cultus: imitemurque Nepotianum illum, qui D. referente Hiero. *nec munditiis, nec sordibus notabilis erat.* *Epist. 3.*

Carmelitarũ habitus totus ad puritatem decus, & honestatem cõpositus, est familiaris nomenclator, ad morum honestatem inducens.

Quæ ego quoties cogito, & dum scribo, subit certé admirari patres nostros, qui modestum B. V. Mariæ habitum quo insignimur, nobis diuinæ præsentiæ familiarem esse nomenclatorem, nos semper docuere: & ab eius honestate Carmelitis

litis

litis vitæ, ac morum honeſtatem longè multum commendari. In hac ego veſte, melius quàm reges in purpurâ exulto, quandoquidem *exultationis tunica* apud Græcos appellatur: hanc cum Euphroſinâ noſtri Ordinis ſanctiſſima virgine exoſculor, veluti nobile *Schema, quod pro arrhis cœleſtis connubij præbet diligentibus ſe Dominus Ieſus Chriſtus.* Atque vtinam de me meiſque confratribus, immò & de cæteris omnibus dici meritò queat, quod olim de ſancto Hor Eremitâ, qui, referente Ruffino, *habitu ipſo honoris videbatur angelici.*

Solemne olim verſùs frater noſter indui tur tunicâ exultationis in ordine Græco inſtituendi nouitios.

In vita.

Lib. 1. vit. Patrum

Dignitas habitus Religioſi.

SECTIO QVINTA.

De colore veſtium.

De Albo.

REGINA eſt & quidem auguſtiſſima *Religio*, quæ ſupremo numini collateralis, formâ ſpectatiſſimâ, verum vbiquè circumfuſa diuinitatis luce, prodit mortalibus oculis neſcio quam, nec vnquam in ſæculi tenebris denſaque caligine viſendam pulchritudinem adeò cœleſti conſpicua decore eſt, & ſimul affuſâ lenitati grauitate frons ſerenat, vt eorum mentes, quorum oculos ſua dignatur pulchritudine, fœlix animorum conciliatrix ad cœleſtia blandiſſimè inuitet. ſed quod natiuam Virginis maieſtatem auget cumulatiùs, veſtis eſt quâ ſplendeſcit, & illa qui-

Religio deſcribitur tamquam auguſtiſſima Regina.

dem virilis nihil habet mollis aut fœminei; ſed nihilominùs tamen gratâ ac multiplici colorum varietate intertexta, velut opere Phrygio, ad miraculum vſque aureſcit. Hanc nimirum ſuis depingit coloribus diuinus vates dum pſallit *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Pſa. 44.

Et ea eſt videlicet admirabilis pulchritudo, quæ hæreticorum oculos in hac nimiâ luce caligantes, ſpecioſo colore perſtringit. Rident inani ſarcaſmo, deridendi ipſi, vel potius ſanguineis lachrymis elugendi; caninâ ac mordaci facundiâ proſcindunt in religioſis veſtibus, colorum diuerſitatem nigra diui Benedicti cuculla, illis atræ diei, futuri aliquando iudicij omen eſt inauſpicatiſſimum. Horrent ad pannos S. Franciſci, viliſque color eieratum ab eis paupertatis votum non obſcurè reprehendit. Incurrunt in fratrum beatiſſimæ Virginis candorem, expallent illicò mulieroſi homines *ventris operarij*, vt habet Tertullianus, & abdomini nati: nec ſatis durare poteſt in caſtitatis aſpectu, impura libido. Vtque ſuis vitiis molliùs abblandiantur, iactāt commata, calumnias, mendacia. Hanc colorum in monachis diuerſitatem recens natam, & diuerſis hominum imaginationibus temerè cōfictam audent proclamare. Abeāt illi cum ſuis nugis, nam nec cupiunt doceri; te volo, mi Lector, qui quamlibet veritatis Catholicæ amicus, necdum tamen fortè intellexiſti quàm nō recens, imò quàm antiqua, quàm ſancta & reuerenda hæc in religioſæ vitæ profeſſoribus, non ludicra colorum variegatio.

Inaniter hæretici diuerſitatē veſtium, in diuerſis Religioſorum ordinibus reprehendunt.

Lib. de patient.

Colorum diuerſitas in Monachis antiquiſſima.

Et verò si replicentur Ecclesiastici Annales, constabit ab omni æuo plerosq; Eremi cultores & monasticæ vitæ addictos, in albâ veste & candidâ, quã etiam antiqui puram nuncuparunt, animi corporisque puritatem Deo consecrasse. Hoc de Essenis testantur benè multi, inter cæteros Iosephus Antiochenus, de therapeutis illis Apostolorum discipulis, qui Alexandriç inter prima nascentis Ecclesiæ incunabula monastices laude floruerunt, Philo Iudæorum disertissimus; de iis quorum ætate vixit Cassianus, vbi eos lineis vestibus indui solitos describit: quem etiam albi colorem in succedentibus deindè religionis ordinibus retinent plerique, in quorum vestis candore egregia vitæ mundicies elucet, clarescit insignis morum innocentia: vtque taceam Bernardinos, Camalduẽses, Mathurinos. Præmonstracenses, Carthusianos, Fullienses, & alios complures; eminent inter Mendicantes, in hoc vestimenti genere Patres Augustiniani, & qui ipsi quoque sub Diui Augustini regulâ militant Patres Dominicani: in horum siquidem constitutionibus cap. 10. text. 2. sic legi, *declaramus quod habitus ordinis nostri, est tunica alba & scapulare album quoad clericos, & cappa nigri coloris.*

Multi olim Monachi albo colore induti.

Lib. 5 c. 5.

Neq; fas est meditari, id sine magni ratione mysterii sapientibus viris factum reor. vt enim passiua vniuersorum opinio fert, Religionis ingressum maximam cum baptismo habere affinitatem, quãdo in vtroque emundatis per Christi gratiam peccati maculis, ad altiorem gradũ prouehitur homo, nomen cum meliori vitâ mutati quæ fuit expressa

Quid designet album color, & cur eo vtantur Religiosi.

Religio & Baptisma comparantur.

melliflui Doctoris sentẽtia, vbi pulchrè docet monasticæ vitæ instituta. Hanc meruisse prærogatiuã, vt secundum baptisma noncupentur. Et Bernardo quidem præiuerat D. Hieron. dum Blesillam dicit secundo quasi proposito baptismo se lauisse, cùm semper monasterium cogitaret; ita nemo sacras Ecclesiæ historias vel à limine salutauit, quin omnium relatione authorum didicerit, eos qui regenerationis lauacro tingebantur, post lactis, vini, & mellis gustationem, sacrum item corporis & Christi sanguinis alimentum, albis quoque vestibus indui solitos: quas deindè octauo post baptismum die deponebant, vnde Dominicam & septimanam in Albis veteres appellarunt. Huic veritati fauet apertissimè sanctæ Pelagiæ vita, *Octauâ verò die quando habebat depositionem albarum facere, surgens nocte nobis ignorantibus, deposuit vestem baptismatis sui, & induit se tunicam tricinam,* id est cilicinã, *& birrum S. Nonni Episcopi.* Allusit etiam Venantius Honor. Fortunat. in carmine cuius initium *salue festa dies*, cùm sic canit.

Antiquæ cærimoniæ in Baptismo Christianorum vsitatæ.

Aquis lustralibus vngebantur.

Albis induebantur.

Sacram sumebant Eucharistiam.

Mel, lac & vinum comedebant.

Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Paulinus quoque accinit in suis versibus.

Inde parens sacrum ducit de fonte sacerdos
Infantes niueos corpore, corde, habitu.
Circumdatque rudes festis altaribus ignes,
Pura salutiferis imbuit ora cibis.
Huic senior sociæ congaudet turba cateruæ,
Alleluya nouis gaudia Pastor habet.

Iam igitur non absimili de causâ Religiosos albis videmus indutos. Quod si abstrusior ratio hæc apparet, de facili credam album priscis illis vsitatum, quia vel lino vtebantur, vel lanâ communi, quæ pura sæpè simplicitatis & innocentiæ nota est; vel demum conuenisse cum Christianis, quos omnes passim, maximè in Africâ & Ægypto, vsos candidâ veste refert Cardinalis Baronius ex Clemente Alexandrino, qui dum Ægypti optimis moribus imbuere curauit Ecclesiam, magnoperè suasit, vt fideles candidis vestimentis vterentur.

Monachi albis induuntur quia Religio est alterum Baptisma.

Passim in oriente Christiani omnes albis olim induti

Pædag. lib. 2.

De nigro, pullo siue griseo.

VERVM enimverò quemadmodum Christianis in oriente nota religionis & caracter fuit albus color, testificante Baronio *Christianos Afros instar Ægyptiorum veste albâ solitos amiciri, ob idque datum illis crimini* à Diuo Cypriano, quod in funere nigram acciperent: ita nimirum nigri coloris indumentum ex eodem authore, tessera quædam Christianæ Philosophiæ in occiduis partibus olim videtur extitisse; quamuis in hoc quoque non mediocrem diuersitatem deprehendere est. Etenim sicut in actis sanctorum martyrum Galationis & Epistemes, qui in Syriâ passi sunt, de Honufrio legitur quod ne detegeretur Christianus, alba induit vestimenta; sensu quoque contrario sanctum Anthonium, cùm martyrij subeundi immenso arderet desiderio, vt cognosceretur esse

Niger color.

An. 361. n. 2.

In orat. de mortalit.

Et niger & griseus cõsuet. Christianis color.

Apud Metaphrast. 3. Nou.

Christianus, albis vestibus indutum in publicum prodiisse narrat D. Athanasius : quamquam, vt mox dixi, de his albi nigrique coloris vsu apud Christianos, variant persæpe authores : nec ipse Baronius quidquam decernere videtur. In vita S. Ant.

Sed quod nigrum attinet, sacratas Deo Virgines non tantum tegi sacro velamine, sed insuper nigrâ indui veste, & operiri pallio olim referente Baronio, in Ecclesiâ consuetudo fuit: quâ de causâ apud sanctum Asterium de sancta Euphemia nobilissima martyre Calcedonensi coram iudice assistente, id habes. *Astabat virgo pullâ veste & pallio philosophiam professa.* Assentitur Hieronymus, *Pulla*, inquit, *tunica minus cùm humi iacuerit, sordidatur.* Et iterum: *Solent quædam cùm futuram virginem spoponderint, pullâ tunicâ eam induere.* Similiter in vitâ SS. Galactonis & Epistæmi martyrum, qui sub Decio passi sunt, hæc scripta reperies. *Eos qui sunt nigro pallio induti, dixit similes esse Angelis, nimirum qui se à mundo separant, & ab his quæ sunt mundi, & seruant virginitatem, & elegerunt habere vitam Christo consimilem:* Nec dissimili modo Seuerus Sulpitius D. Martinum, *Veste hispidâ, nigro & pendulo pallio circumtectum describit.*

Virgines sacræ nigrâ veste natiua, pulla scilicet & pallio induebantur. Ann. 57. n. 81 Ep. 25. Ep. 11. Surius tom. 6. c. 9. *Religiosi homines Angelis comparati.* Dialog 4.

Quæ omnia licet fidem faciant pallium quo olim superinduebantur, & vestes plerumque Christianis fuisse nigras; meritò tamen quispiam affirmarit, nó raro etiam, imo semper grisei quem iam vocamus, hoc est castanei, subnigri, aut obscuri coloris extitisse. Primo quia S. Hieron. de Asella expressè sic loquitur: *Tunicam fusciorem, quam à matre* Ep. 15.

De griseo seu castaneo.

impetrare non poterat, induta, piæ negotiationis auspicio, se repente Domino consecrauit. Et in Regulis Monachor. cap. de vestim. expresse habet *fusca tunica vestiaris*, &c. Atqui fuscum colorem subobscurum, natiuum non plenè nigrum, vt est à tinctura (quem Græci φαιὸς, *Itali Bruno, nos Galli non benè latino verbo griseum minimū vocitamus*) significare vel grāmaticis notum est; & si quis ignorat dubitatve, vnius Calepini Dictionarij magisterio, si non dedignetur, doctus & certior euadet. Accedit D. Augustini authoritas omni exceptione maior, qui epistolâ 199. ad Ediciam disertissimè tradit, *Fuscam vestem fuisse tunc, insigne continentiam profitentium.* Vnde liquet non omnino eandem fuisse omnium Ecclesiarum, temporumve aut personarum in vestium colore obseruantiam.

Fuscus idem quod noster griseus siue natiuus niger quo antiquitus Monachi & moniales vtebantur.

Fuscus seu griseus color antiquissimus & communissimus.

Addo amplius, tametsi concedam non inuitus, in nonnullis saltem regionibus Christianos in communiorem ac frequentiorem vsum recepisse colorem nigrum, quod modestior videretur dignusque ab eo assumi, qui à moribus vulgi discretus altiorem sectaretur philosophiam. Et pallium, cui tantopere fauet Tertullianus, fortaßis nigri etiam tincti fuisse coloris, quamuis non tinctum probabile sit, & omnes nostro griseo, seu potius nigro natiuo fuisse vsos probabilißimum vt mox ostendam. Egregiè tamen negarim primos illos monachos & eremicolas, nigro à tincturâ conuestiri solitos. Primùm enim lineis paßim indutos vidimus supra ex Caßiano: Deindè quis credat pauperculos anachoretas, ab vrbium commerciis &

Etsi alij omnes Christiani nigro tincto vsi essent in prima Ecclesia, non tamen statim id verum est de Monachis & eremitis.

vulgi ac multitudinis cultu abhorrentes, tinctum colorem argento quo prorsus carebat, coëmisse? quin potius, *natiuis lanis & nullo colore infectis* vsos assiduè, rectè sentit Arnoldus Gazæus Benedictinus. Et cætera si absint, quidni crediderim vt semper monachismus à sæculari statu diuersus fuit, ita & vestem diuersissimam? Atqui pallium quo nigro siue tincto, siue non tincto, Christianorum in sæculo eminentiores vsos vidimus, solummodo lapsu temporis paulatim à communi fidelium vsu desciuisse, & cessisse monasticam vitam profitentibus docuimus supra ex Baronij authoritate.

Est tamen non nemo qui satis perfricatâ fronte ausit reclamare, affirmans Monachos ab omni hominum memoriâ, & primæuâ institutione suâ, alium omnino præter nigrum colorem in vestimentis ignorasse; & in vani speciem terriculamenti posset à quopiam in subsidium contra nos aduocari validissima authoritatis Illustrissimi Cardinalis Baronij, quippe qui de Clericorum Monachorumque indumentis disertè statuit in hunc modum.

Soluitur obiectio ex verbis Baronij non benè intellectis.

Dum Hieronymus Heliodorum admonet vestes pullas æquè deuita vt candidas, æquè nos admonemur clericorum dignum habitum nequaquam pulli fuisse coloris, qui vestium Monachorum peculiaris erat. Nam in Epitaphio sanctæ Marcellæ, & aliâ ad Marcellam Epistolâ, necnon contra Iouinianum idem non obscurè significat pulli coloris fuisse habitum Monachorum. Cùm igitur neque pullus, neque candidus color clericis congruere videretur, possumus intelligere castaneum colorem, necnon violaceum in Ecclesiâ Catholicâ, antiquo vsu receptũ fuisse: irrepsisse autem

Anno 93. nu. 48.

Baronius nigrum confundit cũ pullo hincque asserit proprium esse Monachorum.

autem color niger videtur, cùm & Monachismus in nonnullis Ecclesiis receptus est, & ex Monachis Episcopi creati sunt, reliquos autem clericos alio vsos esse colore, vt distinguerentur etiam à laicis, qui incedebant atrati, vt superiùs vidimus.

Hæc ergo difficultas vt queat ad viuum resecari, & non temerè, sed veraciter certum aliquid statuatur definiaturque de colore, quo prisci in vestibus Monachi vtebantur, pretium est animaduertere Illustrissimum Cardinalem Historiographum ex instituto agere de Christianorum indumentis, tùm anno 57. nu. 94. & seq. tùm verò anno 256. n. 18. & sequent. quibus locis expresè tradit (licet etiam inibi album colorem Afris & Ægyptiis in vestibus vltrò concedat, vt supra monui) *nigrum coloris indumentum*, tesseram *fuisse tunc temporis Christianæ philosophiæ*. Neque eò loci statuit fueritne tinctus niger ille Christianorum character, an natiuus tantum, quod non abhorret à vero. Specialiùs autem, sed tantum obiter & aliud agens, promit suam de clericorum Monachorumque vestimentis sententiam anno 393. nu. 48. non aliis omnino verbis, quàm quæ mox fuerunt à me allata.

In quam verborum seriem animaduerto primò, haud quaquam necessariâ consequentiâ inferri ex præallegato Hieronymi testimonio, clericos nusquam habuisse in vsu vel nigrum, vel album colorem. Nam & sanctum Iacobum primum Hierosolymorum Episcopum, & sanctum Basilium in lineis consequenter in albis vestibus solitos incedere certissimè cóstat ex historiis. Nec ipse Illustrissimus

Locus Hieronymi expenditur.

Cardinalis diffitetur, adductus ſcilicet Clementis Alexandrini authoritate, vt iam memini me referre. Et quod pullum attinet, libenter interrogarim ecquod magnum ſit diſcrimen, quænam tāta differentia inter pullum & caſtaneum? atqui vidimus antea multis locis & Clericis & Epiſcopis, Birrum lorem fuiſſe in vſu, hóc eſt vnanimi authorū conſenſu rufum, ſubrubeum, caſtaneum. Adde quod pallium colore fortaſsis etiam tincto nigrum, non primo pertinuiſſe ad Monachos tradit ſupra anno 57.n.97. ſed iis, labente æuo deceſsiſſe, cùm antea Prǫſulibus, Epiſcopis & clericis vt pote maximæ inter Chriſtianos authoritatis eſſet in vſu familiari, vt facile colligitur ex Tertulliani ſcholaſtico. itâque ex hoc capite vna ſimul cū pallio, niger color à tinctura ſi pallium erat eo modo nigrū, in Monachiſmū deuolutus potius deberet coniectari. Quid ergo ſibi vult, inquies, D. Hieronymus, cùm Sacerdotem pullis & candidis veſtibus ex æquo interdicit; nempe quantum ſapio, quantum capio, exiſtimarim ſapientiſsimum virtutis Myſtagogā aliud nihil velle, quàm quod aliis verbis ipſemet expreſsit alicubi: *Nec mūdiciis, nec ſordibus notabilis videaris.* Non enim ſimpliciter prohibet albi veſtimenti vſum, qui in plerīſque Eccleſiis, maximè orientalibus ferme vulgaris erat & communis, ſed tantum nimiam in albedine affectationem aut curioſitatem: candidus enim non idem ſignificat, quod albus, ſed addit coloris ſplendorem, & quaſi albedinis faſtigiū. Quod quia ad luxum & mollitiem accedit, merito clericis candidæ veſtes inhibentur, quamuis puræ & albæ

Albus differt à candido, candidus enim dicit quādam affectationem in colore, vnde clericis prohibetur, & Siſimus Epiſcopus olim reprehenſus, quia candidis induebatur adducens illud Eccleſ. ſint ſemper veſtimenta tua cādida.

permittantur; non dispari ratione explicuerim de pullo colore, reprehendi scilicet sordes nimias neglectum & abiectionem. Nam pullus & pullatus pro vili & sordido sumi docet Quintil. *Iam collidere manus, terræ pedem incutere, fæmur, pectus, frontem cædere, mirè ad pullatum circulum facit, hoc est ad cumulum rudium, atque imperitorum hominum.* Et alibi, *pullatam turbam appellat.* Hæ verò sordes & quisquiliæ plebeios potius decent, quàm clericos & sacerdotes. Sed ista alij quibus vacabit, fusiùs, si lubet, & accuratiùs examinabunt.

Sordidas & affectatas vestes fugere debent Ecclesiastici.

L.1.c.3

Animaduerto secundò (id quod dubio procul totam dirimet controuersiam) proprium & antiquum Monachorum colorem (nam de clericorum cultu, nihil ad me in præsentiâ) fuisse hunc nostrum bæticum, quem iam griseum minimum mos est appellare. Neque alios dare volo fideiussores, quã ipsissima D. Hieronymi verba, adeoque Illustrissimi Cardinalis expressum testimonium. Quid? nũ vidisti vtrumque fateri, affirmare, asserere, proclamare pullum colorem Monachorum proprium fuisse & peculiarem. Atquin satis opinor, si non omnino abecedarius es, intelligis pullum hunc colorem Monachis proprium & antiquum, non significare nigrum artificialiter tinctum, sed reuera buxeum, rufum, fumeum, mellinum, hispanum, rubiginosum, fuliginosum seu ferrugineum, vno verbo griseum nostrum quo ab antiquo in vestibus vti debent Carmelitæ. Si enim colores vniuersi sub flauo, aut post ipsum ad fuscedinem, aut rubedinem obscuriorem vertentes colores sunt. Non à

vero longiùs, vt hoc planum faciam, vnus Scaliger miræ subtilitatis homo, rem ita clarè demonstrabit, vt nullus non perspiciat, modo velit non liuentibus oculis aspicere. Sic igitur ille: *Pullus obscurus item est, in lanis tantum natiuus; quia syncerus est* ἄβαπτος*: idcirco purus pullus: sicuti vnum, villum vnus, vllus: hunc etiam Hispanicum, & bæticam, & Mutinẽsem è locis inde hiberam ferruginẽ dixit Poëta, Franci, Enfumé. Itali Roan quasi rauum. Hunc esse oculorum* χαροπὸν, *videmus apud Varronem, qui galli canisque oculos rauos requirit. Sic ab Horàtio lupam dictam arbitror. Obscuriorem Franci tané, Vasconia rosset, tané, quia nucis putamen, tan vocant Septentrionales, sicut & cortices quernos ad coria interpolanda. Regius color à Gallis dicitur. Alesanum Hispani in equis, Itali ceruatum in ceruis: alij castaneum à cortice si fuscior sit: impluuiatum à parietum rubigine, quam contrahunt ex pluuiæ defluxione. Rufus est flauus fuscus, vt ruffescunt maris incolæ à sole.* Hæc Scaliger exercit. 325. ad Cardan. n. 13. breuiùs verò & compendiosiùs 36. pullum ait esse fuliginosum, mediũ & mixtum ex atro & rubro. Hæc clara, hæc aperta & omnino in rem nostram. Nam hinc pullum colorem proprium & Monachis peculiarem semper fuisse, vbique affirmant Ecclesiastici scriptores. Imò ethnicus ipse gentilisque author Zozimus, non sinit nos in dubio hærere: dum narrat B. Chrysostomo pulso in exilium, multitudinem ingenti tumultu efferbuisse: in cæteris dum Monachis ardẽtiori pietatis zelo, illatam sanctissimo Patriarchæ atrocissimam iniuriam quærunt vindicari, irruisse in Ecclesiam milites armatos, *qui confixerunt omnes quicum-*

Pullus color fusè describitur.

Pullus dicitur quasi purus.

Pullus idem quod castaneus.

Nota nostræ vestis colorem in antiquis monimentis vocari ferrugineum fuliginosũ & gallicè in vita B. Francisca Ambosia. Enfumé.

que pullis vestibus induti erant, quasi verò tumultus authores & architectos seditionis. Adeò nimirum peculiaris erat religiosam ac Monasticam vitam profitentibus pullus in vestimentis color, vt à reliquis hoc vno stemmate, ad necem distinguerentur.

Pulli coloris indumento à cæteris Monachi dignoscebantur.

Inde verò nemo est vel colorum, vel nominum intelligens, quin discat expressè pullum idem omnino esse cum fusco, natiuo nigro, griseo nostro, iunge ergo extrema sponte nascitur verissima conclusio. Proprius & ab antiquo peculiaris Monachorum color, non fuit niger tinctus opificum industriâ, sed natiuus fuscus siue *Pullus*.

Animaduerto tertiò pullum seu fuscum speciem esse nigri, adeóq; sæpissimè cum isto indiscriminatim vsurpari & confundi: sic vt pullus color, niger vt plurimum appelletur: & vicissim niger seu ater, pro pullo fusco-ue. Hăc mihi obseruationem suggerit idem Scaliger, cum aliis rerum & verborum indagatoribus. *Niger, inquit* exerc. 325. n. 17. *in fastigio Ater dicitur; Chaldæis fumum citra fuscum dixere: Græci φωσσατω halé, brunum vocant Tuschi, Germanicâ dictione brun ὄρφνος φαιὸς fuscus, siue piceus nigricans.* Est ergo pullus species nigri, non tam intensi vt est ater, fermè recurrens cum atramentario, hoc est fusco vergente in nigrum: cuiusmodi est color terræ, qui & bæticus dicitur, seu Hispanus: Galli *Noir, Gris enfumé.* Et sæpius pro nigro vsurpari, nigrumque idem significare quod pullum indicat illud Maronis.

Pullus & niger idem sæpè significant, quia pullus est species nigri.

-- *Ne maculis infuscent vellera pullis.*

id eſt nigris, inquit Columella in præfat. lib. 1. in aliis regionibus nigra terra quam pullam vocant, etiam pro atro vſurpauit idē Colum. lib. 17. atque oleris pulli radix, hoc eſt oleris atri. Hoc colore olim in luctu, & iudiciis vſos eſſe antiquos nemo eſt qui ignoret, id præſertim docente Tullio cùm orat. cōtra Vatin. tùm 6. Verrin. *in hâc officinâ maiorē partem diei, cum tunicâ pullâ ſedere ſolebat, & pallio.* Quin etiam Romanos, familiari vſu quod pullato ſeu griſeo ſubnigro induerentur, reprehendit Auguſtus purpuræ & candidi coloris amantiſſimus: de illo namque ſcribit Sueton. cap. 40. *Viſâ quondam pro concione pullatorum turba, indignabundans & clamitans, en*, ait Romanos rerum Dominos gentemque togatam.

Tempus fuit quo plerique omnes Griſeo-nigro ſeu pullo veſtiebantur.

Quæ quidem pulli ſimul & natiui nigri identitas & communio, eâ mihi veritate comprobata videtur non dicam ex aliis hiſtoricis, ſed ipſius quoque illuſtriſſimi Baronij authoritate, vt niſi pullus cum nigro recurreret (vt pote aliqua illius ſpecies) is certè non ſatis ſibi cohærentia, imo verò prorſus repugnantia ſcripſiſſe de facili conuinceretur. Nam cùm prius omnino pro noſtrâ causâ aſſeruiſſet, peculiarem Monachorum habitum, pulli fuiſſe coloris; ſubdit non ita multò poſt, *in clerum nigrum irrepſiſſe colorem, cùm & Monachiſmus in nonnullis Eccleſiis receptus eſt.* At obſecro, quis ille color niger, qui ex Monachiſmi cum clericatu communione abiuit in clericorum vſum? non alius procul dubio quàm qui ab antiquo Monachis proprius erat & peculiaris? qua enim ratione vel in

Baronius pro eodem vſurpauit pullum & nigrum.

Clerum, vel in Episcopatum nigrum artificiosè tinctum secum inuexissent, cùm eo non conuestirentur? Ita est. Sed qùis amabo, & qualis erat, hic proprius, antiquus niger color, Monachis ex vsu peculiariter deputatus? omnino iam non semel inculcatum est ab R. Cardinali Baronio, *Clericorum habitus nequaquam pulli fuit coloris, qui vestiũ Monachorum peculiaris erat.*

Cap. 2. de re vestiariâ.

Quod certè veritatis placitum secundùm Plinij autoritatem, ex verbis expressissimis definiuit Lazarus Baysius, scribens ad hunc modum: lanarum colores natiui memorantur quatuor præcipui. Albus in Apuliâ: niger in Hispaniâ: rutilus, qui & ἐρυθρὸς dici potest, & à Martiale ruffus. Fuluus, & suæ puliginis Tarentinus. Est autem ruffus atrore & nigrore multo mixtus, & ait Gellius fuluus, vt flauus, vt rubidus, vt phæniceus, vt rutilus, vt luteus & spadix appellationes sunt ruffi coloris.

Est aliqua species natiui coloris, qui niger appellatur, quo sensu ita possent explicari nostra statuta quæ nigra permittũt, vt tantum niger natiuus significetur, semper siquidem coniungitur & recurrit cum Griseo.

Habemus igitur tùm ex aliis plerisque fide dignissimis autoribus, tùm verò ipsius Baronij publicâ & apertâ confessione antiquum, proprium & peculiarem Monastici vestitus colorem, reuerà fuisse non nigrum artificiosè tinctum: sed nigrum natiuum, pullum scilicet, hoc est fuscum, bæticum, rufum, ferrugineum, impluuiatum; quid amplius perquiro? griseum hunc quem minimum in Gallia vocitamus.

Vrgeo iterum, si niger tinctus color antiquus fuit, familiaris & proprius Monachorum alio omni interdicto, cur omisit in suâ regulâ, magnus ille archimandrita D. Benedictus? cur antiquum,

proprium, & familiarem Monachis colorem, in suorum vestimentis non præscripsit? annon æquè facilè erat statuere de hoc speciali colore, atque de cucullâ, de tunicâ, de scapulari, quæ propria, sunt antiqua, & specialia Monachorum vestimenta? vidit certè & præuidit, ea quibus insto Dom. Anthon. de Yepes Abbas Benedict. dum cap. 5. lib. 1. Chron. scribit in hunc sensum, nec incerta nobis Diui Benedicti voluntas circa vestimentorum colorem, etenim posteaquàm de formâ, materiâ, & pretio nominatim ab eo præscriptum est, colorem non attigit, sed reliquit indifferentem: sic vt possent vti liberè religiosi vel nigro, vel albo, vel griseo (Gallicè tanné) castaneo reliquisque coloribus decentibus, honestis ac Monasticis (diuersos enim certum est ab eo, sicut & à iure Canonico prohiberi) hinc factum est, vt multi sacri huius ordinis instauratores à prescriptâ regulâ, & sancti Benedicti institutis nihil omnino recedentes, in varios nihilominus vestium colores abierint. Nam Camalduenses sanctus Romualdus albo vtiquè conuestiuit: Diuus Ioannes Gualbertus suos griseo subobscuro, seu subcæruleo: B. Papa Cœlestinus cœlesti colore, vnde Cœlestini hodiéque appellátur. Et Diuus quidem Bernardus, album cum nigro contemperauit. Quia porrò horum potissima pars nigro colori ab initio assueuit; non raro in codicibus authoribusque Ecclesiasticis *nigri Monachi*, tracto à vestium colore vocabulo nominantur. Imò (quod quæso animaduerte diligenter) refert idem Historicus, in Germaniâ Benedictinorum cucullas

Tit. de vit. & honest. Cler. c. 15.

Quid sanctus Benedictus statuerit de vestium colore.

In Ordine S. Benedicti magna colorum diuersitas.

Non reperitur nigrum colorē Monachorum colorem fuisse tinctum, imò verò natiuum nigrum siue pullum docuerunt suprà D. Hieronym. Baron. & alij.

cucullas non nigras esse, sed griseas; ex quo fluxit, vt vulgari etiam sermone, *Monachi grisei, siue grisei coloris nuncuparentur.* Quod vbi notauit Paul. Lang. Chron. Cistercēs. an. 1275. rationem consequenter adducit in hæc verba. *Antiquitus enim & ipsi Cistercienses, flocos gesserūt griseos*: ergo non recens griseus hic color, si antiquitus Monachis gestari assuetus. Quidquod primis temporibus congregationis in Hispaniis famosissimæ, cui sancti Benedicti de Vailladolid titulus est, castaneum seu ceruinū colorem obtinuisse, iidem referunt authores: nec infidâ multorum relatione accepi, Patres Iesuitas interdum in Hispania, Belgioque & Germaniâ hunc griseum nigrescentem colorem in vestibus adhibuisse. Inde adeo nullus est tam alienæ mentis homo, quin facilè intelligat concedatque vltro, hunc ad quem rediuimus colorem, ab omni æuo religiosæ vitæ cupidis fuisse oppidò familiarem.

Monachi Grisei.

Benedictini antiquitus Griseo colore induebantur, adhuc hodie conuersi seu laici fratres.

Iesuitæ aliquando Griseis vestib⁹ in Germania vsi sūt.

Verùm vt nemo sit vllus qui ausit deinceps mussitare. Ecce solidissimum huius assertionis testimonium, & ineluctabile firmamentum. Supremus Pontifex est, Clemens ille quintus, qui circa monasticæ vestis colorem ita decernit exquisitè: *Statuimus vt Superior vestis ipsorū habitui proxima, nigri, bruni, aut albi coloris existat*, additque Glossa, *isti colores sine tincturâ ex lanâ possunt haberi, & ideò potius approbati.* Quibus ex verbis planissimè constat nigrum colorem, cuius frequens apud priscos authores mētio intercurrit non fuisse nigrum artificio tinctum, sed natiuum, quem griseum vocamus, pullum subnigrū seu obscurum, eum scilicet cuius vsum mo-

Qui Colores Monachis in Canone permittantur.

Nota diligenter aliquod esse nigrum natiuum & sine artificio tinctum.

dò assumpsimus. Ait enim Glossa colores istos tres, *nigrum, brunum & album haberi sine tincturâ:* vnde patet nostrum griseum sine tincturâ, pullum siue natiuum nigrum debere appellari. Et olim Benedictinos eo fuisse conuestitos verissimile est: talem enim nigrum illis præfinit summus Pontifex, quem sine tinctura posse cóparari affirmat interpres, velut ac si constituat duas nigri vel bruni species, alteram quæ magis accedit ad leucopheum aut castaneum, & hanc vocat brunum; alteram quæ potius vergit in atrum nigerrimũ, & hæc niger natiuus appellatur, neque forte alius niger, nobis in statutis & constitutionibus conceditur, & hæc pro sequentibus iuuabit annotasse. Statuo duplex nigrũ.

Sed vide obsecro, candide Lector, quantum fidam meæ causæ bonitati. Fingamus, inquam, quæ hactenùs indubitatâ veritate in medium produxi, nullius esse roboris, nec vllâ ex parte griseo huic nostro colori patrocinari. Demus passim & laicos in primitiuâ Ecclesiâ, & Clericos, & Monachos plerosque nigro in vestibus colore etiam, si velis, tincto, vti consueuisse: nego interim Carmelitas eâ generali classe comprehendi; pernego nos (quos modò ex certissimis historiarum monumentis, ab Eliâ & Elisæo, per manus Religionis & vitæ monasticæ mysteria accepisse suppono) nos, inquam, nigro tunc temporis coloré tincto fuisse indutos; quin manifestissimè probo patres nostros vnà cum statu suo, in huius quem resumpsimus grisei seu natiui nigri coloris hæreditariâ possessione inuariabiliter perstitisse; probo & ratione & autho-

ritate, quæ duo sunt cuiuslibet veritatis firmamenta. *Proprium maiorum & antiquum Carmelitis in vestimento colorem esse, non nigrum effucatum, aut alterius cuiuslibet tincturæ: sed natiuum, griseum subnigrum quem minimum vernaculè appellamus.* *Addiscimus aut per demõstrationem, aut per inductionem. 1. poster. Thesis proposit.*

SECTIO SEXTA.

Proprius & antiquus Carmelitarum color griseus tendens ad nigrum demonstratur.



DIXIT non inscitè D. Chrysostomus sui Religiosis æui, *vestes præparatas fuisse vt beatissimus Angelus illis, Eliæ dico, Elisæo, Ioanni ac vniuersis Apostolis; nimirum ex caprarum camelorumque pellibus.* Quod cùm de omnibus vniuersim monasticæ vitæ professoribus verum sit, tùm verò de Carmelitis verissimũ. Reuerâ enim cum nostræ vitæ principes, meritò agnoscãtur Elias & Elisæus, nostri duces instituti filij Prophetarum: non modò eorum viuendi formam, verùm etiam vestium colorem & indumenti genus, quantum patitur temporum conditio, & locorum diuersitas, debemus imitari; vel, si omissa est ea forma, aut intermissa omnibus viis ac vestigiis reuocare: vetus namque parœmia est, rem omnem vt purificetur esse ad sua principia reducendam: quod præstant Alchimistæ per resolutionem, ignis ministerio: Philosophi per compositionem argumentationis; Theologi demum per purificationem, & ab imperfectionibus

Vide sect. 2. huius Rat.

Quosnã imitentur in vestibus Monachi.

Homil. 69. in Matth.

Carmelitæ præ cæteris tenẽtur Eliæ & Elisæi vestimenta imitari.

Res omnis vt purificetur debet ad sua principia reduci.

defæcationem; quemadmodum igitur pictores (quæ est D. Basilij similitudo) cùm imaginem ex imagine pingunt, exemplar idemtidem respectantes, lineamenta eius transferre conantur magno studio ad suum opificium: haud secus Religiosi Carmelitæ, qui se meditantur omnibus virtutum numeris absolutos reddere, veluti simulachra quædam spirantia & actuosa suorum Patriarcharum vitas respicere oportet, probataque opera illorum sua imitando facere. At quis tandem fuit Eliæ vestitus? quænam Elisæi filiorumque Prophetarum indumenta? Consule si nescis scripturarum oracula, videbis 4. Reg. c. 1. Ochoziam Regẽ Israëlis ex peculiari habitûs formâ in Eliæ, quem à se visum in viâ ignorabant nuncij, certam cognitionem deuenisse. Nam eo loco describitur, *vir pilosus & zonâ pelliceâ accinctus renibus*. Huncque in primis D. Paulum respicere tradunt probati authores, dum ait, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*. Certè enim Eliam & Elisæũ Patres nostros (quos pulchrè *æternitatis candidatos* appellat Tertullianus) Melotâ de more indutos, passiua est & communis opinio.

Epist. 2. ad Greg. Naz.

Similitudo.

Helia indumentum.

Hebr. ij.

Melota.

Lib. de resurrect.

Iam verò melota hæc, quâ vsus est Elias nostri Ordinis Patriarcha, pulli huius siue grisei, quẽ vocamus minimum, siue castanei coloris fuit, & vt minimum absq; tincturâ: quod sic euidenter probo ac demonstro. *Melota* vt docent *D. Thom. in epist. Pauli ad Hebræos cap. 11. D. Anselmus ibidem Ioãnes 44. Patriarcha Hierosol. de Instit. prim. Monach. cap. 38. Iosephus Falco in Chronic. Carmel. Hieronym. Gratian. in discipl. Reg. cap. 3. §. 11. & alij.* Propriè

Quid sit Melota.

ſi loquamur, pellis eſt *Meli animalis*, quod etiam à prædictis autoribus Taxo ſiue Taxus appellatur, ex quâ pelle veſtis Eliæ confecta erat, multùm aſpera & pilis extrinſecus apparentibus, corio ad carnem hiſpida: vnde loco ſupra citato, dicitur Elias *vir piloſus*. Porrò melum, ſiue taxum, conſtat eſſe animal griſei noſtri, ſeu potius caſtanei coloris, pilis à cameli haudquaquam diſſimilibus. Et ſi valet prædicti Patris Falconis coniectura non improbabilis, taxus appellatur, eò quòd pellis ſubrubea eſt & rufa, qualis eſt taxi arboris in cortice color, vnde & taxus dicitur; melo etiam, quia ad colorem mellis accedit, ſiue libenter melle veſcatur, ſiue non.

Hi omnes authores Melum ſiue taxum aſfirmant eſſe animal Cameli ſimillimū.

Cur taxus dicitur.

Cur Melum.

Manet ergo veſtem Eliæ patris noſtri fuiſſe melotam, hoc eſt tunicam caſtanei coloris, griſei, melini, taxini, ſiue ſubrubei (nos vocamus minime ou tanné) quæ duo verba ſæpiſſimè inculcat prædictum chronicon, ad extremum citra vllius artificioſum tincturæ colorem. Atqui patres noſtri dum mutatis temporibus pellem illam ſancti Eliæ, ſiue melotam depoſuerunt, veſtem aſſumpſere ſimilis omnino coloris, nimirum griſei, caſtanei, ſiue ſubrubei, ſaltem ſine vllo colore aduentitio: quod manifeſtiſſimè probat antiquiſſimus author Ioannes 44. Patriarch. Hieroſol. qui primam Regulam tradidit Carmelitis, in quâ (vt monebam initio) fusè agit de veſtimentis & habitu exteriori: quæ cauſa fuit (quod alibi quoque ex diuerſis authoribus probabo) vt in compendio Regulæ quod iam habemus ab Alberto Patriar-

Veſtis Heliæ pulli erat coloris ſiue griſei nigri.

Ioan. 44. Patriarcha Carmelitarum indumēta ſcriptis expreſſit.

châ, nulla exterioris habitus fiat mentio, sed interioris tantum ac spiritualis. Is ergo (quē nemo nisi alienissimus ausit inficiari, & cuius germanā authoritatē defendunt ac tuentur P. Vastell. in Apolog. Cartagena c.7.tract.2. de sacrâ antiquit. Carmelit. Thomas à Iesu, Salazar, & alij nec pauci, nec obscuri) nostram controuersiam ita dirimit cap. 38. *Huius autem melotæ gestatio succedentibus temporibus, derisum potius quàm ædificationem eam videntibus comparabat, id circò vestem illam cilicinam* (hoc est ex pilis taxi, vt exprimit ante) *despectam cunctis, & quæ ex hoc ipso nulla poterat spiritus emolumenta conferre, sed elationis natiuitatem concipere, professores huius religionis concordi sententiâ refutarunt: loco autē eius tunicā lanæ non pretiosæ, sed mediocriter asperæ*, EIVSDEM COLORIS CVIVS EXISTEBAT MELOTA *subtus scapulare gestare assumpserūt*. Hæc ille. Quid tu verò, mi lector, quæ nunc animo sententia surgit? vides Eliæ patris nostri vestem fuisse grisei, castaneiue, coloris subnigri: vides insuper vertēte æuo, legitimè patres nostros loco melotæ vestem assumpsisse, *eiusdem coloris cum melotá*, quid ergo relinquitur? an non optima consequentia? vtique in formâ quam nemo benè logicus negarit; ergo inquam, patrum nostrorū proprius & antiquus color fuit griseus, castaneus subobscurus, saltem sine fuco & tincturâ, vt pote, *Similis omnino coloris cum griseâ, & castaneâ subnigrâ patris nostri Eliæ melotâ.*

Describitur vestis priscorū Carmelitarū.

Quod vltimum à me de industriâ additum est. Scio enim, nec dissimulo. prædictum Ioan. 44. eodem capite sic loqui de mysticâ vestis nostræ

Tunica natiui coloris nequaquam tincta perfectius imitatur Heliæ Patris nostri melotam.

significatione *in colore autem eius, quæ atramentario vel nigro est infecta puluis ostenditur*, hæc enim extrema priora verba apertè declarant: tantum enim indicat quod & Statuta & Constitutiones nostræ sæpius inculcant, nempe griseum nostri habitus colorem debere esse atrum subobscurum, caliginosum, fuscum, vno verbo ad nigredinem tendentem. Vti videlicet à RR. Patribus Franciscanis colore diuidamur, quorum grisea vestis est ad pallorem seu albedinem tendens, vt noster ad nigredinem, quo sensu qui solis ardore & æstu decolorātur, nigri dicuntur, hoc est fusci, atri, (nos *tanné ou bazanné* nuncupamus) & nigrum, cuius meminit Patriarcha, de natiuo, pullo, siue fusco interpretemur necesse est, cùm eiusdem esse coloris asseueret cum Heliæ melotâ, quā pullam, fuscam natiui nigri non tincti ipsemet fuisse contestatur.

Alias repugnaret ipse sibi, cùm planè paulò ante pronunciarit Carmelitas posito hispidæ vestis horrore non rectè cum vertentis æui genio consentiente, lanam assumpsisse, non illam quidem pretiosam, sed mediocriter asperam, eiusdem omninò coloris cum melotâ, quam saltem constat natiui fuisse coloris, nusquam artificialiter effucati. His adde versiones è textu Græco variare plurimùm; nam & in antiquis codicibus R. P. M. Petri Riboti lego in hæc verba, ***In colore autem eius quereo*** (pro querneo opinor) *seu nigro puluis ostenditur mortuorum*: & rursus alter quidam è nostris vetustioris memoriæ, *griseo*, refert, *siue nigro*. Annon vi-

des vtrobiquè *querneum vel griseum cum nigro* meritissimo iure confundi? idem enim reuerâ significant; si modò de natiuo nigro sensus intelligatur, in quo rectè tàm mortuorum puluis, quàm extremi memoria iudicij designatur repræsentaturque; reos namque, & extremâ sententiâ periclitantes, imo & qui funera celebrant seu exequias mortuorum (quorum puluis Carmelitarum in veste ostenditur) griseo nostro, pullo nimirum & natiuo nigro indutos fuisse, iam antea ex variis iisdemque indubitatis authoribus adnotatum est. Vtamur ergo coniecturâ, & dicamus, interpretem, cùm Græcus textus desideretur, modico discrimine transtulisse in hanc phrasim, *in colore autem eius quæ atramentario vel nigro est infecta, pulus ostenditur mortuorum.* Nam nec voluit recedere ab antiquis versionibus, in quibus non satis latinè reperitur, *quereus, siue querneus, vel griseus*, cùm & niger & atramentarius idem omninò, sed latiniùs significet, vt docui suprà: nec vero debuit dissentire ab ipsius mente authoris & sensu, qui conceptis verbis asseuerauit antea, lanâ, quâ in tunicis loco melotæ assumpserunt Carmelitæ, eiusdem omnino fuisse coloris cum melotâ, nimirum pulli, fusci, atramentarij seu nigri natiui sine artificiali tincturâ, aut grisei semper tendentis ad nigrum, hi enim colores & mortuorum funera, & iudicia reorum indicabât, quæ duo præcisè intendit Patriarcha.

Niger & atramentarius color, idem significant quod Griseus obscurus siue pullus; his enim in funeribus & iudiciis induebâtur antiqui.

Verba Græca aliter atque aliter in latinum verti assolent.

Sect. 5. ex Cicer. Quint. & Scaliger.

Atque hinc (si coniectaneis locus est) hinc inquam opinor, in nostrum ordinem nigrum ab artificiosâ tincturâ irrepsisse. Etenim cùm ex philosopho

ſopho ſymbolorum facilior ſit tranſitus, facilè quoque fuit (accedente præſertim molli & delicioſâ temporum iniquitate) à priſtino colore nempe griſeo, caſtaneo, obſcuro, & ſubnigro natiuo ad nigrum omnino, & arte infuſcatum tranſire: vnde pariter non difficulter in animum induco meum, ſæpè apud antiquos Hieronym. & alios qui de Monachorum colore loquuntur, nigrum vſurpari pro nigro, quem dico natiuo abſque tincturâ, cùm fuſcum & nigrum ſæpius confundant. Adde quod in his Galliæ partibus tranſactâ primâ illâ ætate quâ Galli pullo, burro, ſiue ruffo, vt pote ſimpliciori, conueſtiebantur, nulla vel certè modica erat ante paucos annos, huius griſei coloris copia; quem quia RR. Patres minimi fermè nouis temporibus inuexerunt, incolæ idcircò minimum proprio idiomate appellant. At noſtri patres trecentis ſaltem annis, antequam eximius mundi deſpretor S. Franciſcus de Paulâ ſplendidiſſimum fructuoſiſſimumque Minimorum ordinem magnâ cum omnium admiratione inſtitueret, noſtri, inquam, patres, vt nunc in Hiſpaniâ ſaltem & in Italiâ, hoc griſeo (quem minimum vocamus) vti ex antiquo more conſueuerant; ac proinde cùm iuxta Ariſtotelis ſententiam ſine causâ & principio impoſſibile ſit aliquid eſſe, non procul à vero eſt, imo arbitror veriſſimum, primos è noſtris Carmelitas, quos termagnus ille ſanctus Ludouicus Galliarum Rex, in has partes aduexit fuiſſe veſtitos griſeo hoc co-

Symbolorum facilior tranſmutatio.

Ariſt. 5. de generat.

Niger natiuus idem quod Griſeus ſiue pullus aut fuſcus.

Galli nō ſemper vſi ſunt pullis & ruffis veſtibus.

Sine causâ & principio impoſſibile eſt aliquid eſſe, vel fieri. Ariſt. 1. Rhetoric.

lore, ſubnigro ſeu caſtaneo, quis enim nigredinis artificioſam tincturam eremicolis illis, in Carmeli antris etiam tùm degentibus ſubminiſtraſſet? nigrum verò tinctum lapſu temporis paulatim: irrepſiſſe (*Omnis namque humana inſtitutio tandem patitur defectus*, vt refert Diuus Hieronymus) irrepſiſſe dico, vel ab æui corruptelâ, cùm Galli noſtri vt ingenio, ita cultu amœniori delectentur, & ille eremitarum antiquus color eſſet inſolens: ſiue quia huius griſei, ſeu caſtanei coloris in regno tum vel nullus erat vſus, certè non tantus quantus nunc temporis, quo poteſt facillimè comparari; atqui hunc colorem vel è Palæſtinâ, vel ex Hiſpaniâ, aut Italiâ aſportare quàm fuiſſet moleſtum? quàm oneroſum? imo quàm pauperculis alienigenis Monachis, & in regno aduenis impoſſibile? vnde ſenſim aſſueuerunt permittentibus ſuperioribus, quorum diſcretio ſumma eſt tempori ac neceſſitati ſeruire; aſsueuerunt, inquam, exemplo Nepotiani apud Hieronymum Monachi ſanctiſſimi, *Cultus ipſius Prouinciæ in quâ degebant morem ſequi, ſic vt nec mundiciis nec ſordibus notabiles viderentur.* Maximè poſtquàm abs ſecretori contemplationis vitâ, ad animarum ſalutem procurandam Pontificiis imperiis diſtracti fuère.

Vnde irrepſerit niger tinctus artificiosè, loco nigri natiui quo ſemper vſi fuerant Carmelitæ.

Epiſt. ad Euſtoch.

Atenim iam iſto tempore, quo color iſte griſeus nihil habet *difficultatis*, quia vili & facili pretio in ipſo regno comparatur: nihil *elationis*, quia plerique aliis excellentis notæ Religioſis vſitatus:

Quid vitare debeant in ſuis veſtibus Religioſi.

nihil *horroris*, quia illi iterum Galli asſueuerunt: nihil quod *Religioſæ charitatis officia retardet*, quia ferme promouet magis, vt pote ab vſu ſæculi, & præcedentis æui corruptione remotior; denique nihil *nouitatis aut alieni*, quia & proprius & antiquus Carmelitis: *Reuera cultum prouinciæ ſatis ſequi*, *&* *mundicias æquè ac ſordes vitare*, & demùm quod decet oportetque, fecisse videntur ij, qui ex ſuperiorum voluntate, ad proprium & antiquum veſtimenti colorem redierunt.

Idem multiplici authoritate probatur.

EGIMVS hactenùs ratione, quæ ſi maturè expendatur, debet meo iudicio omnem intellectum bene diſpoſitum, in meam ſententiam non ægrè, imo vel reluctantem pertrahere. Iam deuenio ad authoritatem, quæ vt eſt vbiquè in hiſtoriarum controuerſiis longè maioris ponderis ac momenti; ita exciſis omnibus ſcrupulis, lectorem haud dubiè in præſenti negotio conuincet. Vt autem methodo faciliori procedamus, authores huic veritati griſei nigri coloris qui ſuffragantur, in duas omninò claſses diſtribuere viſum eſt. Prima noſtri ordinis ſcriptores continebit, in altera externos ordine introducam.

Prou. 1. Isai. 78. *Audiamus* igitur *filij diſciplinam patrum noſtre-*

State ſuper vias & videte & interrogate de ſemitis antiquis. Ierem. 6.

rum, vt ne dimittamus legem matris nostræ, pater namque *filijs notam faciet veritatem.* Et ante omnes agmen ducet. Ioannes 44. qui loco prædicto disertè docet, primorum Monachorum vestem eiusdem fuisse coloris cum melotâ, quam ibi ex probatis authoribus ostendebam fuisse coloris grisei, castanei, seu potius nigri naturalis non tincti. Disertiùs loquitur Reuerendissimus Pater Iosephus Falco in Chronicis fol. 144. vbi postquam de melotâ accuratè disseruit, pro nostrâ sententiâ concludit his verbis, quæ ex Italico fideliter transcripsi. *Exindè manifestè apparet tunicam seu habitum, quo sub cappâ aut pallio vtimur, esse coloris camelini, nimirum ad colorem pili camelorum, vel animalis melotæ accedentis, hoc est ostrini, seu castanei (gallicè* couleur tannée *) vel coloris mellei, quia scilicet mellis colorem imitatur: hinc igitur non secus ac patres nostri à Carmeli montis iugi inhabitatione, Carmelitæ sunt appellati: Pari quoque ratione, color quo induti fuere, dictus est Carmelinus, ostrinus (* tanné *) seu Carmelitanus, quia videlicet pellem melotæ dorso gestabant, apparentibus deforis melotæ pilis, ostrinis nimirum seu castaneis.*

Titulo de indumentis & vestibus.

Hæc ille, ex quibus colligo hunc quem resumpsi-

Si che chiaro si nede che l'habito Carmelitano sotto la cappa o manto, era Carmelino, cirè come è il colore del pelo di Camelo, o del color della melota ch'è color taneto, o del color di mele dalla melota, che pur il mele tien colore Carmelino: essendo poi j padri Carmelitani per rispetto del monte Carmelo, però il colore delle cortonache, è detto così Carmelino, t mellino, o Carmelitano. portauano quella pelle d'animale indosso, con il pelo di fuora via, ch'era di color taneto.

Sicut nostri Patres à loco quem inhabitarunt, dicti sunt Carmelitæ: ita color vestimenti quo vsi sunt, dictus est Carmelinus siue Carmelitanus.

mus colorem, & vulgari verbo griseum:nigricantem vocitamus proprio nomine, certè authoris linguâ *dici Carmelinum, seu Carmelitanum*; quo sensu minimus in Galliis appellatur, quia eo ipso conuestiuntur RR. Patres Minimi. Quo pridem in Hispaniâ, in Italiâ & ante mille & sexcentos annos in Palæstinâ, & Oriente Patres nostri tanquam proprio colore insigniebantur; ac proindè proprium esse & antiquum Carmelitici habitûs colorem, consequenter citra cuiusquam præiudicium potuisse à nobis resumi.

Omnium verò disertissimè satis suo nomine laudatus Mantuanus Baptista, & ipse totius Ordinis 27. Generalis, qui hanc de colore controuersiam non leui brachio, sed expressâ Eglogâ eleEcloga. 7. gantissimè pertractauit; in eâ siquidem actores inducit Batracum, & Mirmecem fictis ne offendat, vel potius ductis à causâ nominibus, nam qui griseo fauet Batracus appellatur βάτραχος aûtem rana dicitur, *cui ferè similem* (ait commentator.) *habent Carmelitæ de obseruantiâ interiorem tunicam, quia piceam, aut, vt dicunt, griseam.* E re nostrâ foret, iuuaretque causam plurimùm totum Carmen ad verbum transcribere, sed quoniam est vt ibidem docetur.

Res malè tuta viros linguâ irritare proteruâ.

Quæ iustitia rectè posset edicere, pia charitas reticebit, obiter tantum annotabo statum quæstionis ab eo sic proponi.

De veteri ritu, de consuetudine Patrum

Quæstio & litis inter Pastores.

Rixa agitur.

Quia deindè obiiciebatur ei qui erat ex obseruantiâ,

Batracus audaci semper sese ingerit ore,
Necnon se præfert magno temerarius ausu.

Respondet ille, & crimen à se repellit iustissimâ excusatione,

Non ego me ingeßi proceßi à iudice iussus.

Tùm verò sensim emarcuisse Carmeli vigorem temporis iniquitate deflet,

Nihil semper floret, ætas succedit ætati. Cicer. orat. II.

Nos radix, alij rami; sed nos quoque rami
A veteri radice Patrum iam ætate caduci.

Nimirum sæculi contagio sanctissima quæque afflat suo veneno; quod non sine lachrymis vbiquè datur intueri. At quæ prima mali labes? quæ causa & origo? sic effatur,

Mores antiquos & maiorum deserere, Religionibus summa pernicies est.

Hi cursus fecere nouos, liquere Priores,
Quos dederat riuos veterum prudentia Patrum.

Tandem rem acu tangit sequentibus deinceps versibus,

Dic mihi, dic mirmix PRISCVM CVR LANA COLOREM
PERDIDIT? *hæc gregibus quidnam noua vellera fecit,*
Cur pecus EST NIGRVM, *quod erat melioribus annis*
Clarum &c.

Griseus color priscus, niger tinctus aduentitius.

Clarum inuexit versus necessitas, quod verbum interpretatur commentator, *subnigrum, qui respectu planè nigri clarus est,* inquit in hunc locum. Indè adeo causam affert cur præ nigro, griseum colo-

rem ad nigrum tendentem in obseruantiâ assumpserint,

His animaduersis ægrè tot damna ferentes,
Venimus ad fontem, riuumque à vertice summo
Scrutari mihi cura fuit.

Resumere Griseum colorem in tunicis redire est ad antiquitatem.

Nec tamen acquiescit aduersarius, sed impatiens quàm ficta in speciem, tam falsa vtiquè crimina obiicit reformatis,

Cura viris leuibus rerum solet esse nouarum,
Propterea certè noua Pascua quæris & amnes,
Fingis inauditos & vis nouus author haberi.

Pessimus est, qui vtitur malitia & in seipsum, & in amicos. Arist. lib. 5. Ethic.

Verùm ille clauum clauo trudit, & optimam rationem inanibus verbis reponit,

Cura viris grauibus rerum solet esse suarum,
HÆC NOVITAS NON EST NOVITAS, SED
VERA VETVSTAS,
Religio & pietas Patrum instaurata resurgit
--- Igitur si quis labentia tecta
Erigat, & sterilem qui mansuefecerit agrum,
Iudice te damnandus erit? NON PONITVR ARBOR
ALTERA, *sed* VETERI *inseritur* BONA VIRGVLA TRVNCO.

Non omnis nouitas est nouitas.

Similitudines apposita.

Quibus palam fit, nouum hunc griseum, seu Carmelinum colorem, adeò non nouitatis studio induci, vt etiam ab antiquo Patrum vsu temporum corruptelâ interceptus, postliminio, vt par est, reuocetur. Neque mihi consilium est, mi Lector, his me Pastorum iurgiis immiscere, aut molestis querelis animum tuum intricare. Tantùm libet apud æquas tuas aures, æquissimi iudicis definitiuam sententiam ceu præco deponere, & palam

proclamare vniuersis,

Ferte per antiquos Patrum vestigia gressus,
Et veteres seruate vias, reuocate vagantes
Per valles & saxa greges, per lustra ferarum:
Figite in antiquis iterum magalia campis.

Possem equidem in hanc ipsam sententiam adducere complures alios è nostris, qui grauissimis testimoniis hunc griseum colorem Carmelitis tamquam proprium vendicant, & asserunt quasi antiquum: præsertim verò fœlicis memoriæ Reuerendissimum P. Sebastianum Fantonum, extremum Ordinis nostri Generalem, qui altero abhinc anno fatis in bona senectute concesit. Is certè in decreto capituli Generalis ad has prouincias transmisso ita rescribit. *Maior pars griseo colore vtitur, qui & Patrum nostrorum antiquus putatur.* Totum habetur sect. 4. ratione 2.

Atenim ne videantur è sinu testes appositi, & quia nostri sunt, subordinati: placet accersere externos testes, forenses arbitros, qui æqui diribitores, rem alienam minus inuidis oculis perspicientes, æquiùs de re tota diiudicabunt.

Secunda classis externorum authorum, qui griseo colori tanquam Carmelitarum proprio expresse fauent.

OCCVRRIT primùm sancti Antonini Florentini Archiepiscopi luculentissima authoritas, quippe, 3. *p. histor. c.* 5. *tit.* 2. *vbi de Honorio* 4. sic habet *Cappas de toto albo resumere, & tunicas subtus griseas cum scapularibus assumere, con-*

cessit

ceſsit Carmelitis. Antonino aſtipulatur, immò rem clariùs explanat Ioannes Baptiſta Confectius in collect. Priuileg. Mendic. vbi de Honorio 4. Romano Pontifice ſic ait, *Creatus Pontifex 17. Kalẽd. Maij 1285. obijt Romæ 16. Kalend. Feb. 1287. fratribus Carmelitanis hiſpidâ, & incultâ Pallâ indutis, cappam albam ſuper tunicâ & ſcapulari* CICERCVLI COLORIS CONCESSIT. In quo mihi duo obiter videntur obſeruanda, primum eſt Doctorem iuris *per pallam incultam* intelligere cappam minimè attonſam, nec non barratam, quâ tunc Saracenorum iniuriâ vtebantur Patres noſtri, de quâ nos ſequenti ſectione: palla namque pallij genus eſt apud antiquarios, ſic dicta quia palàm apparet. Alterum eſt griſeum hunc noſtrum ſeu Carmelinum colorem, nouo & ficto, at permirum quantum ad rem ſignificandam, idoneo vocabulo *Ciceculum* appellari; nempe ducto nomine à *Cicerculo,* quod ſi, Plinio credimus, genus eſt Sinopidis, rubricæ videlicet. Quæ opinor cauſa fuit vt P. Petrus Vuaſtellius vir probè doctus, hunc colorem *griſeum vel ſubrubeum* appellarit.

Hic quæſtio non mouebatur de tunica, ſed tãtum vt cappam in totum albam poſitis barris ſiue virgulis, ferre permitteretur.

Sect. 9.

Palla, id eſt cappa.

Cicerculus color quid ſit.

Lib. 35. cap 6.

Apolog. cap. 43

Subſcribit Iodocus Badius Mantuani commentator, qui ſuam ſententiam ita promit. *Quia nunc nigra ſunt intrinſecùs indumenta,* videlicet in Ciſalpinis regionibus & Gallicanis: primus namque Mantuanæ Congregationis author Gallus erat, *quod factum dicunt vt vnius videantur gregis: quia enim piceus color (vt in fratribus Diui Franciſci videmus) tam varius eſt, concluſerunt in nigrum immutare:* (ergo nouiter introductus niger, & olim griſeus paſſim,

&c vbiquè vigebat) *quem de obseruatione Italicâ respuunt, putantes natalem & sine fuco factum, magis congruum religioni, quod & Maro censuit dicens,*

Natiuus color magis congruus Religioni.

Nec varios discet mentiri lana colores.

Veritas enim præstat mendacio. Et hæc ratio diuersitatis fictitia est, cùm maiorem habeat locũ in nigro tincto, quem ego ipse, dum nigrum gestaremus, animaduerti diuersissimum simul ac deformosissimum. Rursus idem planè paulò ante in illud.

--- Priscum cur lana colorem

Perdidit.

Sic interpretatur, *quia prius vt ex aulæis comprobauerunt obseruantes, vsi sunt vestibus piceis, seu griseis, qualibus adhûc in nonnullis vtuntur fratres illiterati, quos Conuersos vocant.*

Ex antiquis aulæis probatum Griseum colorem nostris esse proprium.

Non minoris roboris videtur esse D. Bartholom. Chassanei I.C. & præsidis apud Aquas Sextias testificatio. Quippe 4. p. Catal. Glor. Mundi conf. 70. de Ordine Carmelit. hæc rescribit, *Tempore Honorij 4. cùm fratres Ordinis Carmelitarum deferrent habitum, qui minus videbatur conuenire viris Religiosis, videlicet cappam circulatam largis virgis albis & griseis, Honorius propter maiorem honestatem mandauit habitum illum dimittere* (cappam nimirum virgulatam) *& tunicas subtus griseas assumere.* Non dicit nigras vel griseas, sed tantum griseas, vt supra memorati Antoninus & confectius.

Virgulæ quibus stragulata erat cappa Grisea erant & alba.

Neque verò silentio est inuoluendum quod magnus Henricus 4. Rex Galliarum Christianissimus, memor beneficiorum quibus Beatissima Dei parēs & se, & suum regnum suosque prædecessores co-

piosissimè cumularat; ordinem militiamue tantæ virginis nomini & honori dicatam, in regno suo instaurauit; Quæ quidem Militia seu Ordo equitũ B.V.Mariæ de Monte Carmelo nuncupatus, constat nobilibus è Gallia viris, omnino centum, non aliis prorsus, quàm in Ecclesiâ Catholicâ fidei probatissimæ. Horum præcipua cura sanctissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, veneratio est, & Regiam Maiestatem proximè in castris ac pugnâ stipare vt olim apud Romanos Triarij milites, apud Persas viri quos vocabant immortales. Porrò ordinem militarẽ luculento diplomate confirmauit Paulus summus Pontifex, in quo statuta & constitutiones Religiosis militibus deinceps obseruandæ, sanciuntur præscribunturque. Ex iis tria notatu dignissima non pigebit ascribere.

Equites B.V. Mariæ de monte Carmelo.

Eorum institutum officium.

Primum est vt dicti ordinis milites, sacratissimam Virginem Mariam de Monte Carmeli, tanquam præcipuam patronam agnoscant: & eius solemne Festũ Iulij 16. magna celebritate venerentur; Quæ solemnis est & peculiaris totius sacræ nostræ religionis festiuitas. *Alterum* quod griseo colori nostro fauet plurimũ, vt ad pallij sinistrum latus crux subserica cõspicua sit ex holoserico Castanei, seu Ceruini, aut bætici coloris, hoc est Carmelini nequaquam tincti; filis argenteis ad oram laciniosa, cuius in medio Virgo eminet, hinc & inde clarissimis radiis prę fulgida. Vid'en vt B.Mater nostra Virgo de Monte Carmeli, cui nos speciali voto mãcipamus, necnon crux è Carmelino seu castaneo colore quẽ resumpsimus, equestris dignitatis à magno Rege

Griseus color insigne Equitum.

SECTIO SEPTIMA.

Quantum Religionis intersit, & propriæ cuiusque salutis à primorum institutorum vestimentis nullatenùs, si fieri potest, desciscere.

ERAT aliquando in frequenti Monachorum cœtu, Beatus Odo Abbas Benedictinus; atque inibi iuxta leges vetustissimæ sanctitatis pia colloquia miscebat cum fratribus, oportuna videlicet ad promouendum in familiâ virtutis studium, & cuiusque animum acrioribus ad perfectionem stimulis inflammandum. Inter hæc illatus est sermo de lapsu, ac Religiosi status corruptelâ. Rogatusque sapientissimus Pater, ex quâ mali scaturigine hæc contagio prorupisset? Respondit ille in hanc sententiam: *Ante hos annos cùm apud Turones in Ecclesiâ Beati Martini Monachi degerent, cœperunt desciscere à moribus & institutis Monasticis, propriamque sectando voluntatem, vitam professionemque suam corrumpere.* ABIECTO ENIM MONACHORVM SOLITO HABITV, FVCATOS ATQVE FLVXOS, ET PALLIO ORNATOS INDVERVNT CVCVLLOS ET TVNICAS: *Calceis vtebantur adeò rotundis & nitidis, vt vitrei videri possent. Ad laudes Dei nocte celebrandas, ne fortè ad aliquid pedes offenderent, cum luce diei surgebant, pluraque id genus alia faciebant. Quibus cùm vellet Deus finem imponere, nocte quâdam omnibus*

Collationes sacræ.

Apud Surium in Nouemb.

Unde fit vt religiones pan-latim deflorescant.

Abijcere solitū habitum, fucos sectari maxima ruina est.

sumno correptis, vnus ex eis vigilans, duos viros vidit in dormitorium ingredi, vnum manu tenentem gladium, alterum imperantem ei, vt quos ipse digito demonstraret, gladio percuteret. Cumque ille etiam eum qui hæc videbat, cædere vellet, ADIVRO TE, INQVIT, PER DEVM VIVENTEM, NE ME INTERFICIAS: *illicò retraxit ille gladium, & hic solus ex omnibus euasit.* Quæ certè narratio terroris plenissima, fidem facit, primò antiquum Religionis habitum pauperem fuisse, simplicem, purum è lanâ natiuâ; deinde verò irrepsisse fucos, tincturas, fluxum & nimis comptum ornatum; id quod inibi expressè reprehenditur, ex quo pariter consecuta est deprauatio morum, ruina status religiosi: vltimò demum in eos qui *abiecto Monachorum solito habitu, fucatos atque fluxos & pallio ornatos induerant cucullos & tunicas*, grauis horrendaque numinis vindicta.

Deus punit tandem Religiosos desides & pigros.

Antiquorum vestes nulla tinctura aut fuco infectæ erant.

Quocirca cùm eadem omninò existat accliuis & decliuis via, idem prorsus ascendendi iter quod & descendendi, si pristini & Patribus nostris consueti habitus derelictio, causa ruinæ est & diuinæ vltionis; quinam optabilior reparationis modus, quàm redire ad solitum habitum, fluxas ac fucatas tunicas cum æui corruptelà in ordinem inuectas, vndequaque aspernari: inde adeo qui è nostris auitæ disciplinæ restitutioni, iam à triginta fermè annis seriò incumbunt, libenter in vestigiis parentum figunt pedem; & quò paulatim fiunt perfectionis amantiores, eò propiùs ad primæuam ordinis sui institutionem accedere connituntur. Cùmque & ratione, & authoritate & communi

Maiorũ habitum repetere, optima reformationis nota.

rum, vt ne dimittamus legem matris nostræ, pater namque *filijs notam faciet veritatem.* Et ante omnes agmen ducet. Ioannes 44. qui loco prædicto disertè docet, primorum Monachorum vestem eiusdem fuisse coloris cum melotâ, quam ibi ex probatis authoribus ostendebam fuisse coloris grisei, castanei, seu potius nigri naturalis non tincti. Disertiùs loquitur Reuerendissimus Pater Iosephus Falco in Chronicis fol. 144. vbi postquam de melotâ accuratè disseruit, pro nostrâ sententiâ concludit his verbis, quæ ex Italico fideliter transcripsi. *Exindè manifestè apparet tunicam seu habitum, quo sub cappâ aut pallio vtimur, esse coloris camelini, nimirum ad colorem pili camelorum, vel animalis melotæ accedentis, hoc est ostrini, seu castanei (gallicè* couleur tannée) *vel coloris mellei, quia scilicet mellis colorem imitatur: hinc igitur non secus ac patres nostri à Carmeli montis iugi inhabitatione, Carmelitæ sunt appellati: Pari quoque ratione, color quo induti fuere, dictus est Carmelinus, ostrinus* (tanné) *seu Carmelitanus, quia videlicet pellem melotæ dorso gestabant, apparentibus deforis melotæ pilis, ostrinis nimirum seu castaneis.*

Titulo de indumentis & vestibus.

Hæc ille, ex quibus colligo hunc quem resumpsi-

Si che chiaro si nede che l'habito Carmelitano sotto la cappa o manto, era Carmelino, cirè come è il colore del pelo di Camelo, o del color della melota ch'è color taneto, o del color di mele dalla melota, che pur il mele tien colore Carmelino: essendo poi j padri Carn elitani per rispetto del monte Carmelo, però il colore delle cortonache, è detto così Carmelino, i mellino, o Carmelitano. portauano quella pelle danimale indosso, con il pelo di fuora via, ch'era di color taneto.

Sicut nostri Patres à loco quem inhabitarunt, dicti sunt Carmelitæ: ita color vestimenti quo vsi sunt, dictus est Carmelinus siue Carmelitanus.

inus colorem, & vulgari verbo griseum: nigricantem vocitamus proprio nomine, certè authoris linguâ *dici Carmelinum, seu Carmelitanum*, quo sensu minimus in Galliis appellatur, quia eo ipso conuestiuntur RR. Patres Minimi. Quo pridem in Hispaniâ, in Italiâ & ante mille & sexcentos annos in Palæstinâ, & Oriente Patres nostri tanquam proprio colore insigniebantur; ac proindè proprium esse & antiquum Carmelitici habitûs colorem, consequenter citra cuiusquam præiudicium potuisse à nobis resumi.

Omnium verò disertissimè satis suo nomine laudatus Mantuanus Baptista, & ipse totius Ordinis 27. Generalis, qui hanc de colore controuersiam non leui brachio, sed expressâ Eglogâ eleгantissimè pertractauit; in eâ siquidem actores in-

Ecloga. 7. ducit Batracum, & Mirmecem fictis ne offendat, vel potius ductis à causâ nominibus, nam qui griseo fauet Batracus appellatur βάτραχος aûtem rana dicitur, *cui ferè similem* (ait commentator.) *habent Carmelitæ de obseruantiâ interiorem tunicam, quia piceam, aut, vt dicunt, griseam.* E re nostrâ foret, iuuaretque causam plurimùm totum Carmen ad verbum transcribere, sed quoniam est vt ibidem docetur.

Res malè tuta viros linguâ irritare proteruâ:

Quæ iustitia rectè posset edicere, pia charitas reticebit, obiter tantum annotabo statum quæstionis ab eo sic proponi.

De veteri ritu, de consuetudine Patrum

Quæstio & litis inter Pastores.

Rixa agitur.

Quia deindè obiiciebatur ei qui erat ex obseruantiâ,

Batracus audaci semper sese ingerit ore,
Necnon se præfert magno temerarius ausu.

Respondet ille, & crimen à se repellit iustissimâ excusatione,

Non ego me ingeßi proceßi à iudice iussus.

Tùm verò sensim emarcuisse Carmeli vigorem temporis iniquitate deflet,

Nihil semper floret, ætas succedit ætati. Cicer. orat. II.

Nos radix, alij rami; sed nos quoque rami
A veteri radice Patrum iam ætate caduci.

Nimirum sæculi contagio sanctissima quæque afflat suo veneno; quod non sine lachrymis vbiquè datur intueri. At quæ prima mali labes? quæ causa & origo? sic effatur,

Mores antiquos & maiorum deserere, Religionibus summa pernicies est.

Hi cursus fecere nouos, liquere Priores,
Quos dederat riuos veterum prudentia Patrum.

Tandem rem acu tangit sequentibus deinceps versibus,

Dic mihi, dic mirmix PRISCVM CVR LANA COLOREM
PERDIDIT? *hæc gregibus quidnam noua vellera fecit,*
Cur pecus EST NIGRVM, *quod erat melioribus annis*
Clarum &c.

Griseus color priscus, niger tinctus aduentitius.

Clarum inuexit versus necessitas, quod verbum interpretatur commentator, *subnigrum, qui respectu planè nigri clarus est,* inquit in hunc locum. Indè adeo causam affert cur præ nigro, griseum colo-

rem ad nigrum tendentem in obseruantiâ assumpserint,

Resumere Griseum colorem in tunicis redire est ad antiquitatem.

His animaduersis ægrè tot damna ferentes,
Venimus ad fontem, riuumque à vertice summo
Scrutari mihi cura fuit.

Nec tamen acquiescit aduersarius, sed impatiens quàm ficta in speciem, tam falsa vtiquè crimina obiicit reformatis,

Pessimus est, qui vtitur malitia & in seipsum, & in amicos. Arist. l. 5. Ethic.

Cura viris leuibus rerum solet esse nouarum,
Propterea certè noua Pascua quæris & amnes,
Fingis inauditos & vis nouus author haberi.

Verùm ille clauum clauo trudit, & optimam rationem inanibus verbis reponit,

Cura viris grauibus rerum solet esse suarum,
HÆC NOVITAS NON EST NOVITAS, SED
VERA VETVSTAS,
Religio & pietas Patrum instaurata resurgit
--- *Igitur si quis labentia tecta*
Erigat, & sterilem qui mansuefecerit agrum,
Iudice te damnandus erit? NON PONITVR ARBOR
ALTERA, *sed* VETERI *inseritur* BONA VIRGVLA TRVNCO.

Non omnis nouitas est nouitas.

Similitudines apposita.

Quibus palam fit, nouum hunc griseum, seu Carmelinum colorem, adeò non nouitatis studio induci, vt etiam ab antiquo Patrum vsu temporum corruptelâ interceptus, postliminio, vt par est, reuocetur. Neque mihi consilium est, mi Lector, his me Pastorum iurgiis immiscere, aut molestis querelis animum tuum intricare. Tantùm libet apud æquas tuas aures, æquissimi iudicis definitiuam sententiam ceu præco deponere, & palam

proclamare vniuersis,

Ferte per antiquos Patrum vestigia gressus,
Et veteres seruate vias, reuocate vagantes
Per valles & saxa greges, per lustra ferarum:
Figite in antiquis iterum magalia campis:

Possem equidem in hanc ipsam sententiam adducere complures alios è nostris, qui grauissimis testimoniis hunc griseum colorem Carmelitis tamquam proprium vendicant, & asserunt quasi antiquum: præsertim verò fœlicis memoriæ Reuerendissimum P. Sebastianum Fantonum, extremum Ordinis nostri Generalem, qui altero abhinc anno fatis in bona senectute concessit. Is certè in decreto capituli Generalis ad has prouincias transmisso ita rescribit. *Maior pars griseo colore vtitur, qui & Patrum nostrorum antiquus putatur.* Totum habetur sect. 4. ratione 2.

Atenim ne videantur è sinu testes appositi, & quia nostri sunt, subordinati: placet accersere externos testes, forenses arbitros, qui æqui diribitores, rem alienam minus inuidis oculis perspicientes, æquiùs de re tota diiudicabunt.

Secunda classis externorum authorum, qui griseo colori tanquam Carmelitarum proprio expresse fauent.

OCCVRRIT primùm sancti Antonini Florentini Archiepiscopi luculentissima authoritas, quippe, *3. p. histor. c. 5. tit. 2. vbi de Honorio 4.* sic habet *Cappas de toto albo resumere, & tunicas subtus griseas cum scapularibus assumere, concessit*

ressit Carmelitis. Antonino astipulatur, immò rem clariùs explanat Ioannes Baptista Confectius in collect. Priuileg. Mendic. vbi de Honorio 4. Romano Pontifice sic ait, *Creatus Pontifex 17. Kalēd. Maij 1285. obijt Romæ 16. Kalend. Feb. 1287. fratribus Carmelitanis hispidâ, & incultâ Pallâ indutis, cappam albam super tunicâ & scapulari* CICERCVLI COLORIS CONCESSIT. In quo mihi duo obiter videntur obseruanda, primum est Doctorem iuris *per pallam incultam* intelligere cappam minimè attonsam, nec non barratam, quâ tunc Saracenorum iniuriâ vtebantur Patres nostri, de quâ nos sequenti sectione: palla namque pallij genus est apud antiquarios, sic dicta quia palam apparet. Alterum est griseum hunc nostrum seu Carmelinum colorem, nouo & ficto, at permirum quantum ad rem significandam, idoneo vocabulo *Ciccerculum* appellari; nempe ducto nomine à *Cicerculo*, quod si, Plinio credimus, genus est Sinopidis, rubricæ videlicet. Quæ opinor causa fuit vt P. Petrus Vuastellius vir probè doctus, hunc colorem *griseum vel subrubeum* appellarit.

Hic quæstio non mouebatur de tunica, sed tātum vt cappam in totum albam positis barris siue virgulis, ferre permitterētur.

Sect. 9.

Palla, id est cappa.

Cicerculus color quid sit.

Lib. 35. cap 6.

Apoleg. cap. 43

Subscribit Iodocus Badius Mantuani commentator, qui suam sententiam ita promit. *Quia nunc nigra sunt intrinsecùs indumenta*, videlicet in Cisalpinis regionibus & Gallicanis: primus namque Mantuanæ Congregationis author Gallus erat, *quod factum dicunt vt vnius videantur gregis: quia enim piceus color (vt in fratribus Diui Francisci videmus) tam varius est, concluserunt in nigrum immutare*: (ergo nouiter introductus niger, & olim griseus passim,

& vbiquè vigebat) *quem de obseruatione Italicâ respuunt, putantes natalem & sine fuco factum, magis congruum religioni, quod & Maro censuit dicens,*

Natiuus color magis congruit Religioni.

Nec varios discet mentiri lana colores.

Veritas enim præstat mendacio. Et hæc ratio diuersitatis fictitia est, cùm maiorem habeat locũ in nigro tincto, quem ego ipse, dum nigrum gestaremus, animaduerti diuersissimum simul ac deformosissimum. Rursus idem planè paulò ante in illud.

--- Priscum cur lana colorem

Perdidit.

Sic interpretatur, *quia prius vt ex aulæis comprobauerunt obseruantes, vsi sunt vestibus piceis, seu griseis, qualibus adhùc in nonnullis vtuntur fratres illiterati, quos Conuersos vocant.*

Ex antiquis aulæis probatum Griseum colorem nostris esse proprium.

Non minoris roboris videtur esse D. Bartholom. Chassanei I.C. & præsidis apud Aquas Sextias testificatio. Quippe 4. p. Catal. Glor. Mundi cons. 70. de Ordine Carmelit. hæc rescribit, *Tempore Honorij 4. cùm fratres Ordinis Carmelitarum deferrent habitum, qui minus videbatur conuenire viris Religiosis, videlicet cappam circulatam largis virgis albis & griseis, Honorius propter maiorem honestatem mandauit habitum illum dimittere* (cappam nimirum virgulatam) *& tunicas subtus griseas assumere.* Non dicit nigras vel griseas, sed tantum griseas, vt supra memorati Antoninus & confectius.

Virgulæ quibus stragulata erat cappa Grisea erant & alba.

Neque verò silentio est inuoluendum quod magnus Henricus 4. Rex Galliarum Christianissimus, memor beneficiorum quibus Beatissima Dei parés & se, & suum regnum suosque prædecessores co-

pioſiſsimè cumularat; ordinem militiamue tantæ virginis nomini & honori dicatam, in regno ſuo inſtaurauit; Quæ quidem Militia ſeu Ordo equitũ B.V. Mariæ de Monte Carmelo nuncupatus, conſtat nobilibus è Gallia viris, omnino centum, non aliis prorſus, quàm in Eccleſiâ Catholicâ fidei probatiſsimæ. Horum præcipua cura ſanctiſsimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, veneratio eſt, & Regiam Maieſtatem proximè in caſtris ac pugnâ ſtipare vt olim apud Romanos Triarij milites, apud Perſas viri quos vocabant immortales. Porrò ordinem militarẽ luculento diplomate confirmauit Paulus ſummus Pontifex, in quo ſtatuta & conſtitutiones Religioſis militibus deinceps obſeruandæ, ſanciuntur præſcribunturque. Ex iis tria notatu digniſsima non pigebit aſcribere.

Equites B.V. Mariæ de monte Carmelo.

Eorum institutum officium.

Primum eſt vt dicti ordinis milites, ſacratiſsimam Virginem Mariam de Monte Carmeli, tanquam præcipuam patronam agnoſcant: & eius ſolemne Feſtũ Iulij 16. magna celebritate venerentur; Quæ ſolemnis eſt & peculiaris totius ſacræ noſtræ religionis feſtiuitas. *Alterum* quod griſeo colori noſtro fauet plurimũ, vt ad pallij ſiniſtrum latus crux ſubſerica cõſpicua ſit ex holoſerico Caſtanei, ſeu Ceruini, aut bætici coloris, hoc eſt Carmelini nequaquam tincti; filis argenteis ad oram lacinioſa, cuius in medio Virgo eminet, hinc & inde clariſsimis radiis prę fulgida. Vid'en vt B. Mater noſtra Virgo de Monte Carmeli, cui nos ſpeciali voto mãcipamus, necnon crux è Carmelino ſeu caſtaneo colore quẽ reſumpſimus, equeſtris dignitatis à magno Rege

Griſeus color insigne Equitum.

instauratæ, approbatæ à Pontifice maximo Paulo nomine quinto insigne existat. *Tertio* tenentur ex instituto, singulis diebus Mercurij abstinere à carnium esu, necnon officium B.V.M. vel saltem Rosarium quotidiè recitare: quod nos vtrumque speciali constitutione exquisitè iubemur obseruare.

Agmen claudet, ne longiùs excurrendo fiam prolixior, eruditus P. è Societate Iesu Iacobus Salianus, qui idem historiæ stadium emensus est in veteri lege ab orbe condito, quod in nouâ à Christi natiuitate illustrissimus Cardinalis Baronius. Is igitur Salianus ann. mundi 3138. n. 44. postea quàm repetitâ Ioannis 44. de Heliæ melotæ sententiâ, eius vestem descripsit cilicinam ex Tostato, id est pellem ex pilis taxi, Cameli, similisue quadrupedis; sic omnino in rem nostram concludit fol. 145. *Huiusmodi autem vestitum ab vtroque tam veteris quàm noui Testamenti Prophetâ* (Heliâ scilicet & Ioanne Baptistâ) *non necessitate, sed religionis & pænitentiæ nomine vsurpatum nemo est qui ambigat: erat enim & carni asper, & ad sui contemptum oportunus.* QVAMQVAM, nota Lector, *eorum postea imitatores* (intellige Carmelitas, quos ipse nominauit antea) *huiusmodi vestes in laneas è rudiore & NATIVO Panno confectas commutarũt, vt & labori manuum vacare possent, & elationem ex singulari vestitu vitarent.*

Cilicina Melota SS. Heliæ, Elisæi & cæt. mutata est in laneas vestes natiui coloris.

Quæ cùm ita sint, putes imposterum, mi Lector, propositam in limine sectionis assertionem de proprio, antiquo griseo, seu castaneo apud Patres nostros vestium colore, Mathematicis esse similem propositionibus? solent namque pon-

ctorum, linearum, superficierum & nullius non quãtitatis metatores, speculatores, examinatores, complures egregias propositiones scitè atque eleganter oratione demonstrare, quas deindè tamen nulla artificis industria fabrili opere potest imitari, nedum consequi: non ita ego; nam si ratio, si authoritas, si domestica alienaque testimonia discussis ignorantiæ tenebris, quamlibet veritatem collocant in aperto, ex iis certè quæ fusè satis explicui, verissima hæc conclusio relinquitur, *Proprius, & antiquus Carmelitarum color niger est natiuus siue griseus, & absque omni fuco aut tincturâ tendens ad nigrum.* Quocirca si quis deinceps à me exigat, quid causæ esse putem, cur posito nigro griseum hunc Carmelinum assumpserint è nostris patribus plerique omnes? facilis erit ex Basilij verbis responsio, ἀλλ᾽ ἅπερ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων δεδιδάγμεθα, ταῦτα τοῖς ἐρωτῶσιν ἡμᾶς διαγγέλλομεν, id est, *ijs qui nos interrogãt, annunciamus quæ nos patres nostri docuerunt.* De cætero nemo mihi molestus sit, nam si quis pergat vltra cauillari & causari importunè, non acuam ego stylum; displicent enim Religioso, linguæ vel calami inanes pugnæ, quas Græci σκιαμαχεῖν appellant. Modestius Niceni Concilij præceptis obtemperabo, in quo prohibentur Christiani, mutuis se iurgiis lacessere, & de fide cum exteris disputare, cum vno omnibus obiectionibus verbo satisfaciendum sit, quo etiam in hoc negotio cuilibet æquo iudici satisfactum iri arbitratus sum. *Nos leges patrum custodimus, mores maiorum obseruamus.*

Conclusio.

SECTIO SEPTIMA.

Quantum Religionis interſit, & propriæ cuiuſque ſalutis à primorum inſtitutorum veſtimentis nullatenùs, ſi fieri poteſt, deſciſcere.

ERAT aliquando in frequenti Monachorum cœtu, Beatus Odo Abbas Benedictinus; atque inibi iuxta leges vetuſtiſſimæ ſanctitatis pia colloquia miſcebat cum fratribus, oportuna videlicet ad promouendum in familiâ virtutis ſtudium, & cuiuſque animum acrioribus ad perfectionem ſtimulis inflammandum. Inter hæc illatus eſt ſermo de lapſu, ac Religioſi ſtatus corruptelâ. Rogatuſque ſapientiſſimus Pater, ex quâ mali ſcaturigine hæc contagio proru-piſſet? Reſpondit ille in hanc ſententiam: *Ante hos annos cùm apud Turones in Eccleſiâ Beati Martini Monachi degerent, cœperunt deſciſcere à moribus & inſtitutis Monaſticis, propriamque ſectando voluntatem, vitam profeßionemque ſuam corrumpere.* ABIECTO ENIM MONACHORVM SOLITO HABITV, FVCATOS ATQVE FLVXOS, ET PALLIO ORNATOS INDVERVNT CVCVLLOS ET TVNICAS: *Calceis vtebantur adeò rotundis & nitidis, vt vitrei videri poſſent. Ad laudes Dei nocte celebrandas, ne fortè ad aliquid pedes offenderent, cum luce diei ſurgebant, pluraque id genus alia faciebant. Quibus cùm vellet Deus finem imponere, nocte quâdam omnibus*

Collationes ſacræ.

Apud Surium in Nouemb.

Unde fit vt religiones paulatim defloreſcant.

Abijcere ſolitū habitum, fucos ſectari maxima ruina eſt.

ſumno correptis, vnus ex eis vigilans, duos viros vidit in dormitorium ingredi, vnum manu tenentem gladium, alterum imperantem ei, vt quos ipſe digito demonſtraret, gladio percuteret. Cùmque ille etiam eum qui hæc videbat, cædere vellet, ADIVRO TE, INQVIT, PER DEVM VIVENTEM, NE ME INTERFICIAS: *illicò retraxit ille gladium, & hic ſolus ex omnibus euaſit.* Quæ certè narratio terroris pleniſſima, fidem facit, primò antiquum Religionis habitum pauperem fuiſſe, ſimplicem, purum è lanâ natiuâ; deinde verò irrepſiſſe fucos, tincturas, fluxum & nimis comptum ornatum; id quod inibi expreſſè reprehenditur, ex quo pariter conſecuta eſt deprauatio morum, ruina ſtatus religioſi: vltimò demum in eos qui *abiecto Monachorum ſolito habitu, fucatos atque fluxos & pallio ornatos induerant cucullos & tunicas*, grauis horrendaque numinis vindicta.

Deus punit tandem Religioſos deſides & pigros.

Antiquorum veſtes nulla tinctura aut fuco infecta erant.

Quocirca cùm eadem omninò exiſtat accliuis & decliuis via, idem prorſus aſcendendi iter quod & deſcendendi, ſi priſtini & Patribus noſtris conſueti habitus derelictio, cauſa ruinæ eſt & diuinæ vltionis; quinam optabilior reparationis modus quàm redire ad ſolitum habitum, fluxas ac fucatas tunicas cum æui corruptelâ in ordinem inuectas, vndequaque aſpernari: inde adeo qui è noſtris auitæ diſciplinæ reſtitutioni, iam à triginta fermè annis ſeriò incumbunt, libenter in veſtigiis parentum figunt pedem; & quò paulatim fiunt perfectionis amantiores, eò propiùs ad primæuam ordinis ſui inſtitutionem accedere conniguntur. Cùmque & ratione, & authoritate & communi

Maiorũ habitum repetere, optima reformationis nota.

sensu superiorumque decretis compertum habeant primos Monachismi institutores Heliam, Eliseum, &c. vili melotâ fuisse indutos: propagatores deindè in lege nouâ, eum melotæ horrorem eiusdem coloris vestibus, puta pulli, fusci, nigri scilicet natiui citra vllam tincturam demutasse; sapienter optauêre carnem eodem tegumenti genere, quo maiores, crucifigere. Nec enim ad plenum eorum imitarentur exempla, sed nec ruinas domus Dei perfectè reparare mihi viderentur, nisi eorum habitum externum haud minus quàm internum gestarent, ac eorumdem legibus de habitus materiâ, formâ & colore editis tenaciter (quantum patitur æui conditio, & impellit superiorum voluntas) inhærerent.

Esto igitur Carmelitis ceu nobile præceptũ pro pullo nostro fusco siue griseo colore, effatum illud D. Anastasij Martyris, cuius sanctissimi Monachi festiuitatẽ specialiter veneramur: *Habitus noster in reuerentiâ nobis esse debet, vt pote à sanctis ordinum parentibus* (Heliâ scilicet & Elisæo omnium ordinum authoribus, quorum ipse sectator erat) *nobis velut testamento legatus, tanquam certus monasticæ vitæ nuncius.* Alioquin magno verendum erit opere, ne altera parens amantissima Beatissima virgo aliter quàm par est vestitos toruis oculis iracundè aspiciat, ipsissimisque verbis cõminetur, quibus olim in Chalmarnensi vrbe, sanctæ Catharinæ filiæ sanctæ Birgittæ sororem vehementiùs increpauit. Hæc enim dum in sacello virginis vna simul cum B. Catharina vacaret orationi, paulatim somno irrepente,

Surius in Ianuar.

Monastica vestis nobis à parentibus testamẽto data est.

Surius in Martio.

Qui vestimẽta nolunt corrigere, à sanctissima Deipara acerbiùs reprehenduntur.

irrepente, cupit obdormire, videt interim Diuam Virginem blando vultu & amœno Catharinam, se verò minaci & iracundo intueri; iamque anxia multis cum lachrymis causam rogans, sic audire visa est sibi à sanctissimâ Christiparâ: *Et quare tu non obtemperas consilijs mihi dilectæ Catharinæ? si tu eius exemplo & monitis habitum moresque tuos correxeris, ego te quoque blanditer respiciam.* Virginem scilicet ad iracundiam prouocat, qui alio quàm debet habitu conuestitus audet in illius aspectum prodire, vel etiam preces effundere. *Visu.*

Nec verò displicere minus ipsis quoque Ordinum authoribus ac Patriarchis, apposito exemplo licet confirmare. Insignem historiam diffusiùs à Surio recensitam, quia mirè instituto conuenit paucis hoc loco complecti non erit præter extra-ue propositum. Dum infesta Normanorum manus vniuersam penè Galliam armis deuastarét; effecit bellorum licentia, vt ægrè pleraque monasteria religiosæ disciplinæ vigorem possent sustinere: pluribus nefariâ occasione redeuntibus ad mores & prauos vsus sæcularis vitæ. Alij se in domesticam familiam recipiebant: alij ingenti ardore opes opibus accumulabant; plerique omnes spretâ vestium simplicitate, cum quibus exierant è monasterio, assumebant ex panno coloris cærulei, magisque libertatis genio conformes. At enimuero ex eis vnus vitæ melioris cupidus, rediens ad monasterium, suaque omnia quæ opulentius compararat offerens in communitatem magno pœnitendi desiderio, tandem exorauit vt in fratrum consor-

Extraneus habitus displicet Virgini.

Surius in Nou.

tium admitteretur, atque illo quidem vt adepta bona in monasterium asportaret redeũte cum fratre socio (solus enim redire abnuerat) in grauissimum incidit morbum, ex quo ferè repentina mors secuta est. Sedenim priusquam diem clauderet extremum, ipsi simul & socio pro eius salute ardentiùs deprecanti, talis visio contigit. Cernebat vterque sanctum Benedictum, in scansili sublimique throno quiescentem; circumfusa hinc atque inde frequens Monachorum corona, & maiestatem simul augebat & terrorem. Tribunalis gradus palliis strati visebantur, quorum in infimo moribundus frater, quasi reus iacens veniam petebat. Sed frustrà; nam cùm ex assistentibus quidam magnæ, in speciem, authoritatis, pro illo sanctum Benedictum compellasset, respondit ille, *Hominem quidem se videre, sed habitum non agnoscere. Itàque alterius instituti hominem, eiusque causam discutere se non debere, nec in eius vitam inquirere.* Quod audiens obseruãtioris instituti frater languentis socius, sollicitus pro illius salute confestim exuit se, & vestibus suis ægrum fratrem contegens, vt iterum in antiquo & primario habitu factus securior veniam tentaret, adhortatur. Vix induerat vestimentum, cùm vox supernè audita iubet eum surgere, & per iter ascendentibus peruium, iam quasi legitimum filiũm ad Beati Patris Benedicti oscula fidentius accedere. Euigilans vterque & viso diuinitus oblato ambo conterriti, illicò ægrotus positis vestibus adulterinis, & propriis necnon antiquis indutus, securiùs se ad mortem

Visum meditatione dignissimum.

S. Benedictus Monachũ antiquo & proprio suo habitu simili licet religioso indutum dedignatur agnoscere.

præparauit. tanti refert in quolibet Religioso ordine, Patriarcharum non tantum mores & instituta, verùm etiã habitus atque indumenta imitari.

Benè habet, vidimus supra expressam haberi inter Carmelitas primorum Monachorum vestis seu tunicæ similitudinem in materiâ, formâ & qualitate: pergamus iam ex instituto perquirere, an reliquum corporis cultum siue ornatum, quo primos nostros parentes, Heliam dico, Elisæum cæterosque filios prophetarum vsos fuisse compertum est, aliqualiter imitemur.

SECTIO OCTAVA.

De zonâ seu cingulo Religiosi.

NEQVE enim à tunica solum Regi Ochoziæ innotuit Helias noster Patriarcha, verùm etiam à zona, quâ pelliceâ præcinctus renibus incedebat; Non illâ quidem cotiaceâ, quod vertunt nonnulli, cùm ea vulgaris sit, nec quidquam insigne habeat, sed impræparata ex pelle, villis adhuc pilisque prominentibus. Quã non minus atque tunicâ, à cæteris hominibus distinguebatur: & inde est quod Ioann. 44. cap. 37. eam, *speciale signum Heliæ impressum appellat*, licetque illud Iuuenci poëtæ de Eliâ vsurpare,

Zonæ indicio Helias dignoscitur.

Texta camelorum fuerant velamina setis,
Et zonæ pellis medium cinxere prophetam.

Quo suo exemplo, subiungit *patriarcha*, *docuit he-*

lias monachum huius professionis debere cinctis lumbis incedere; nam & Ioannes Baptista qui in spiritu & virtute Heliæ venit, eum in accinctione lumborum imitatus fuit. De quo Euangelistâ sic ait, erat Ioannes vestitus pilis camelorum & zona pellicea circa lumbos eius; Adeò vt si perfectè patres nostros velimus imitari, debeamus vtiquè zonâ vti indesinenter; non illâ quidem laneâ, aut elegantiùs concinnatâ: sed, quod præcipiunt Constitutiones, & iubet consuetudo, coriaceâ, pilis vt à tunicâ, ob temporum mores, in totum detractis.

Carmelitæ cingulum habere debent ad instar Heliæ.

Lucæ cap. 1.

Marci cap. 3.

Imò & iste asperioris zonæ vsus latiùs dimanauit. Diuus siquidem Fulgentius testatur Monachos pelliceo vti cingulo in Africa: imo de ipsomet refert Surius in eius vitâ, *quod zonâ pelliceâ vtebatur sicut Monachus.* Et B. Dorotheus de se suisque coæuis monachis loquens, *Habemus*, inquit, *& zonam pelliceam circa renes nostros*; quod etiam lumbaris genus Apostolis consuetum author est Cassianus. Quanquam & S. Pachomij discipulis zona fuit è lino; aliis è lanâ purissimâ, cuiusmodi describitur Marcellæ cingulũ apud D. Hier: & hodie plerique vtuntur: aliis demùm è fune, vt quos describit D. Paulinus epist. 7. non baltheo, sed reste succinctos. Quia porrò materia hæc omnium vilissima est, eam sibi D. Franciscus suisque sodalibus delegit.

Zonæ & cinguli vsus apud antiquos.

De renũciat.

Zona è linea & lanea.

In vita.

Ep. 7.

Funis.

Verùm vt redeat sermo ad nostram Carmelitarum pelliceam zonam, *non parum*, inquit idem Ioan. *exigit à monacho Sacramentum*. Primùm enim mortificationis me admonet, ex animali demortuo pellis detracta. Quo sensu B. Paulus

Zona Mystica significatio.

Mortificationẽ indicat.

vbi supra.

Actor. 21. ex Agapi Prophetæ in eum vaticinio, qui se Pauli cingulo pedes ac manus circumligauit, præsagitionem accepit, debere se magno & inuicto animo paratum esse ad iniurias, supplicia, & innumera quæ à Iudæis imminebant mala. Quod pulchrè tradit B. Dorotheus in doctrinâ suâ primâ quæ est de renunciatione, *Mortificati quoque corporis signum est zona, mortificare enim desideria nostra debemus, præsertim ea quæ à renibus procedunt. De quibus Apostolus dicebat, mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, &c.* Hæc ille. Coloss. cap. 3.

Castitatis studium.

Ex quo fluit altera item haudquaquam inferior Monastici cinguli mystica significatio, nēpe castitatis amor studiumque ac sollicitudo, vt fusiùs declarat Ioannes Patriarcha præfatus, egregiè obseruãs primum ab omni memoriâ Heliam, contra communem Israelitarum consuetudinem, qui zonâ lanâ vtebantur, pelliceam assumpsisse: vt pote qui primus mortalium, expresso castimoniæ voto virginitati nomen dedit; hocque signo Monachis exemplum reliquit, restringendi in lumbis peccati fomitem, & mortificandi omnis luxuriosi motus incentiuum: ideóque ait regula cap. 14. *Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis*; vt nostrûm quilibet meritò decantare queat cum Propheta, *factus sum sicut vter in pruina.* Psalm. 118.

Quid significat Heliam primum in Iudæis Zonam habuisse ex corio.

Mens pura vasi comparata.

Mens etenim continentiæ peccati fomitem refrigescentis, cingulo præcincta (haud secus quàm vas aliquod gelu & frigore astrictum) cœlestis gratiæ capacissima euadit. Vnde & abundantior gratia dilecto Ioanni tributa memoratur, eo quòd Virgo à Christo Virgine ele-

ctus, Virginem Mariam seruasset, Virgo itidem perseuerasset.

Quid lumbos præcingere. Lumbos ergo præcingunt Carmelitæ, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctant. Iamque iuxta Seruatoris præceptum *lumbis præcincti*, apti sunt *lucernas ardentes manibus præferre*, & bonis operum exemplis proximo prælucere. Hinc mos deuotissimus inoleuit, vt ex nostris constitutionibus tàm de nocte, quàm de die præcincti zonâ reperiamur. Quæ Angeli regula est sancto Pacomio dictata, vt religiosi nocte etiam præcincti cubarent; præcepitque B. Benedictus cap. 22. Reg. *Vt vestiti dormiant monachi, & cincti cingulis aut funibus.* Quamquam illos sancti Pacomij discipulos narrat Palladius in Lausiac. cap. 38. cùm ad sacram synaxim Sabbato & Dominica die accedebant, zonam soluere solitos: quo fortè maiorem reuerentiam honestas habitus, solâ apparente cucullâ, depositâ ouillâ pelle, demonstraret. Luc. cap. 12.

Etiam nocte zona pracingi debent Carmelita & alij.

Zonam soluebāt Pachomiani accedentes ad sacram sinaxim.

Obedientiam significat. Potuissem non difficulter addere ex Diuo Basilio, zonam Religiosi ipsius designare obedientiã, & ad opera quæque feruentius exequenda alacritatem: quocirca dum ad sacrum nostrum ordinem recipiuntur Nouitij, Superior qui eos zonâ circumcingit, hæc ait. *Cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cùm autem senueris alius te cinget.* Quemadmodum olim beatus Petrus solutis in carcere vinculis, præcingi iubetur ab Angelo: perindè quasi accingi, animi strenui, & ad rem gerendam expediti, signum sit. Ideóque Deus beatum Iob ita alloquitur, *Accinge sicut vir lumbos tuos,* cap. 23. Reg. fus. disp. Ioann. cap. 21.

Alacritatem.

Lib. 3. Reg. cap. 18. & noster Helias, *præcinctis lũbis, currebat ante Achab.* Imò Christus ipse exemplar nostrum, vti genus humanum à durâ peccati seruitute liberaret, *Indutus est fortitudinem & præcinxit se,* quæ fuit olim Dauidis præsagitio.

Quid quod etiam ex antiquitatum monumentis, cingulum militis est proprium insigne. At quis amabo *fortis ille armatus, qui custodit atrium?* Nonne Christus Iesus, qui *potentissimus gladio super femur accinctus* terrorem incutit dæmonibus. Imperatorem ergo imitemur non ignaui milites, qui triplici sacramento spiritali militiæ nomen dedimus.

Luc. cap. ij.

Zona accingitur Monachus quia miles est.

Quam ob causam & monasteria antiquitus Asceteria dicta sunt, chori videlicet castrorum quæ visuntur in Sunamitide: & Monachi à Græcis Patribus ascetæ, id est pugiles seu exercitatores appellati. Denique Cataphractum Carmelitam describit nostra regula cap.14. vt possit non otiosè spiritales nequitias debellare. *Cogitatio sancta* plusquam æneo thorace pectus sic munit, vt nullis hostium ictibus patere queat. Spei virtus *Galea capiti* imponitur. Nec deest *gladius* verbum nempe Dei, parte vtraque acutissimum. Sed enim, vt olim Auli Gellij testimonio, cingulum perdidisse infamis erat militibus ignominiæ nota, quia Thesaurus eo omnis continebatur: haud secus religioso pręcipua debet esse cura castitatis. Lethale, namque virus quod Latini ignem sacrum seu zonę morbum, Græci ἕρπητα quoque nominant & ζωστῆρα medium hominem quodammodo cingit, & si totum cinxerit, haud mora occidit, ne multa cinguli priuatio, militis exauctoratio est.

Cantic. cap. 6.

Monasteria olim Asceteria & Monachi ascetæ, vocabantur.

Regula Carmelitarum homini præbet armaturam.

Lorin. in Psal. 108. v. 19.

SECTIO NONA.

De habitu siue Scapulari.

FALSVS sum & ego ipse, vnà cum multis aliis, qui dudum putauerim hoc genus indumenti Patribus nostris non prius fuisse in vsu, quam à sanctissimâ Deiparâ nobis in singularis amoris pignus & monumentum donaretur. Adeò interdum reconditas antiquitates non exquirere, nocet veritati. Verùm satis superque meam erudiit ignorantiam caput 34. Præfati Patriarchæ Ioannis 44. quod sic incipit, *Super humeralibus* (Græci epomida vocant) *vestræ religionis Professores, tempore legis veteris vtebantur. Præceperat enim Iudæis lex, in quatuor angulis suarum vestium fimbrias, & in fimbriis funiculos facere; quas fimbrias cum funiculis, dicti Professores iuxta legis præceptum, in quatuor inferioribus angulis superhumeralium gestabant: erat autem superhumerale, vestis sine manicis vsque ad renes descendens,* (iam ad mediam tibiam demissa) *in vtroque latere aperta, brachiis etiam ea nudatis, cuius posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori,* (ait Chronicum Italicum satis probabiliter, duas fuisse pelles inuicem ad humerorum iuncturam assutas, eiusdem coloris cum tunicâ, grisei nimirum subnigri, vel quod in idem recedit, nigri natiui,) *nouæ autem legis tempore, huic vesti in aperturâ colli iunctum fuit caputium,* (in Regulâ spiritualiter galea

> *S. Athanas. vocat Ependetem; Surius in vita sancta Apollon. humerale.*

> Habeant e*tiam scapularia eiusdem coloris cum tunica, vsque ad mediã tibiam descendentia & non vltrà. Statuta anni 1357. per R. P. Petrũ Raymundum.* Pa*tientia seu scapulare breuius sit tunica vno palmo. Veneta per R. P. Nicolaum Audeth. & B. Soreth. anno 1466.*

> Ioseph. Falco in chronic.

lea appellatur, ſicut & ſcapulare munimen corporis) *tegens caput & ſcapulas; quam noſtræ religionis Profeſſores fimbrijs & funiculis ab eâ reſecatis, vſque nunc ſummâ cum diligentiâ diebus ac noctibus, indeſinenter geſtabant.* *Dies noctéſque ſcapulare à nobis geſtandum.*

Hanc porrò veſtem obedientiam deſignare docet ibidem, noſtræque conſtitutiones patientiam appellant, & ſuauiſſimum Chriſti ac Virginis iugum. Nam dum induitur Nouitius verba hæc præmiſſa clariſſima concipit Sacerdos, *tolle iugum Chriſti, ſuaue & onus eius leue.* Nos verò diuinæ præſentiæ monumentum non de nihilo poſſemus nuncupare, ſi nimirum concipiamus, comprehendamuſque in quatuor angulis, ante & retro ad pedes tendentibus, non amplius fimbrias illas aut funiculos (quod iam foret ſuperſtitioſum) *ſed cum omnibus Sanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* *Scapulare patientiam & obedientiam ſignificat.* *Præſentia Dei.*

Verum enimuero quemadmodum non antea, tantæ apud Romanos authoritatis fuit pallij indumentum, quantæ deinceps, ex quo ſapiens ille Cato pallium geſtare incœpit; non abſimili certè modo hoc genus ſcapularis, longè maiori cultu, honore, affectuque ſumus amplexati; poſtquam amantiſſima noſtra mater, æternum amoris pactum cum noſtri Ordinis Generali Beato Simone Anglico ſânciuit; vti ſpeciale tantæ Virginis patrocinium, hâc quaſi teſſerâ communitum, non ſolum in ipſo patre ſeruaretur, verùmetiam Virginem inter, illiuſque ſemen, per immenſa ſæculorum ſpatia perennaret. Ab eo namque tempore, *Virginem induere.*

Historiam scapularis quod beatissima Virgo dedit Carmelitis describunt ac fusius explicant. Ioan. Paleon. lib. 3. cap. 12. Carthagena Homil. 1. tom. 4. Ioan. Fauent. Philippus Macer, legenda B. Simonis, & alij qui de rebus Carmeliticis scribunt.

Virgo B. Simoni Stoch apparet.

vt in Baptiſmo Chriſtum, ſic in Religionis ingreſſu, virginem Chriſti matrem videmur induere. Et verò rogata ſæpiſſimè cœlitum æquè ac mortalium princeps auguſtiſſima Virgo, ardentiſſimis beati Generalis precibus, antiquum renouauit fœdus cum Carmelitis; & eorum erga ſe filiationis, ſuam aduerſus eos maternitatis, mutuæ vtrinque fraternitatis contractum ſolemni ſigillo ad perpetuam æternitatis memoriam muniuit inſigniuitque. Nocte ſcilicet intempeſtâ, dum Beatus Simon effuſus in preces, ingenti pro Ordinis tutelâ affectu Virginem exoraret; ſenſit illicò diffuſum per cellulam diuinæ lucis iubar: vidit ſanctiſſimam Chriſtiparam diuino radiantem fulgore, nec non frequenti Angelorum coronâ ſtipatam adeſſe ſibi; vtque præ reuerentiâ totus exhorreſcebat ad tantæ Reginæ maieſtatem, eam porrecto manibus ſcapulari ſic ſe alloquentem exaudiuit. *Dilectiſſime, fili hoc recipe tui Ordinis ſcapulare, meæ confraternitatis ſignum, tibi & cunctis Carmelitis priuilegium, in quo quis moriēs non æternum patietur incendium: ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni.* Tanti miraculi famam excepit cum admiratione orbis vniuerſus: veritatem confirmarunt ſummi Pontifices non pauci Ioan. 22. Clemens 7. Gregor. 13. Sixtus 5. Gregor. 14. Clemens 8. & cæteri: ſanctitatem coluerunt Reges, Principes, populi, qui in ſodalitium ſeu confraternitatem ſacri huius ſcapularis paſſim in toto orbe Chriſtiano, non ſine magno pietatis fructu curant aſcribi.

Bullæ quæ continent indulgētias fraternitati ſcapularis conceſſas habētur in Bullario per Ródericum.

Sed quoniam non eſt mei conſilij longiùs in hu-

ius laudes scapularis & encomia euagari, satis erit ad rem nostram annotasse, habitum seu scapulare, quod Beatissima Virgo deuoto Generali nostro Simoni Anglico impertiuit, fuisse pulli grisei, aut subrubei coloris. Certè ita sentit R.P. Ioan. Carthagena, de nostro Ordine optimè meritus hoc æuo. Quippe qui postea quàm retulit memoratum supra miraculum, pergit in hæc verba, *Etenim ad eum modum quo diuinitùs factum est, vt flaui & albi coloris varietate Iacobi Agni ab aliis discriminarentur: ita & filios huius Religionis voluit Beata Virgo ab aliis discerni*, FLAVO ET ALBO INDVMENTO. Per flauum exprimit subrubeum vel rufum: nam flau⁹ coloris constat, ad mellis colorem accedens: vnde inter species nigri recensetur à Scaligero, & suæ fuliginis; id est nigroris dicitur à Plinio.

Existimat Carthagena scapulare à beatiss. Virgine donatum Carmelitis, flaui hoc est pulli siue russi coloris.

Tract. de antiq. Ordine Carm. in homil. de Beata.

Atenim quibus altior est sensus, & siue doctrinæ siue pietatis indagādę sagacior cupido, vlterius cogitationem mittent: rogabuntq; quænam priuilegia hoc genus scapularis, quod ab augustissimâ Carmelitarum Reginâ gloriamur accepisse, potissimum commendent? Interim dum fusius respódebunt, alij qui ex instituto hanc materiam pertractant; dicam breuiter hæc sanctissimæ Virginis aduersus Carmelitas beneficia, tribus summatim prærogatiuis concludi.

Tres Carmelitici scapularis prærogatiuæ.

Prima originem spectans in eo præcipuè cósistit, quod sacrum nostræ religionis scapulare non è terra, sed à cœlo: non item hominum Angelorumve munificentiâ, sed purissimis iisdemq; sacratissimis Virginis Deiparæ manibus nobis est liberaliter im-

Scapulare à cœlo datum.

pertitum: quæ quidem prærogatiua, nihil prorsus habet ab historiarum fide alienum: cum simili fermè & S. Ildephonsus Toletanus Archiepisc. & S. Nortbertus Ordinis Præmonstracensis Patriarcha, & S. Romanus Decanus antea mox Dominicanus, & alij complures, simili inquam prærogatiuâ insigniti memorentur. Nostri tamen beneficij præcipua est & palmaris hæc prerogatiua, quod eiusmodi scapulare non solum Beatissimæ Virginis dono, verùm etiam singularibus indulgentiarum gratiis augeatur cumuleturque. Indulgentias dico eò certè excellentiores, quò immediatiùs videntur ab ipso fonte gratiæ & plenitudinis scaturire. Vt enim Virgo sanctissima Christi salutificatoris adiutrix (vt loquũtur sancti Patres) & in humanæ redẽptionis mysterio cooperatrix, pro materno iure suo filium vnigenitũ, ita potest orare vt exoret, ita petere vt impetret, vt quasi imperet; refert B. Simonis vita, & pia doctrina suffragatur Beatissimã Matrem *Mariam, quæ visceribus suis Carmeleum ordinem spiritualiter genuit, & ad sua vbera lactauit*, vt loquitur Greg. 13. in Bulla vt laudes in Cœlis. Hæc indulgentiarum beneficia à Christo vnigenito, & mortalium salutis autore impetrasse, impetratas mediâ nocte, vt dictum est, S. Simoni Anglico Ordinis totius Generali immediatè perseipsam concessisse, quo æternum amoris & clientelæ fædus sanciret cum Carmelitis. Cæterum quia, vt sentit Augustinus, nihil meretur fidem, nisi quod Ecclesiæ authoritas approbarit: in cæteris indulgentiarum Thesauros aperire, supremi in terris Christi Vicarij, Romani inquam Pontificis, mu-

Similia exempla factum cõfirmant.

Excellentia prima huius prærogatiuæ.

Indulgentiæ scapulari annexæ, cæteris præcellunt ab origine.

De Christi & Mariæ plenitudine omnes accipimus.

Beata Virgo ordinis Carmelitici Mater & nutrix spiritualis.

B. Virgo ipsa se Indulgentias Carmelitis cõcessit.

Summus Põtifex approbauit.

nus est & quidem præcipuum. Voluit sapiẽtissima Mater & Virgo, ea quæ Carmelitis concesserat priuilegia, publicâ simul & Pontificiâ authoritate ad perpetuam rei memoriam confirmari. Ergo dum per eos dies Ioannes 22. Romanus Pontifex graues cum Principibus inimicitias exercens, pro Ecclesiæ Catholicæ tutelâ ardentiùs Christum exoraret, vidit Beatissimam Christi matrem Carmelitarum veste conspicuam, & diuino splendentem lumine; cuius radiis excitatus, subitoque horrore correptus, audit Beatam Virginem sibi de hostibus victoriam, vniuersæ verò Ecclesiæ pacem tranquillitatemque polliceri. Eâ tamen lege & conditione, vt concessa Carmelitis priuilegia rata faceret in terris, sicuti Christus ipse concesserat, & in cælis approbarat. Hæc expressè refert ipsemet summus Pontifex in Bullâ quæ incipit, *Sacratissimo vti culmine, &c. Datum Auenione die 3. Mart. ann. 6. nostri Pontificatus.* Additque clausulam istam, *ergo indulgentiam accepto robore in terris cõfirmo, sicut propter merita virginis Christus concessit in cælis.*

B. Virgo Carmelitarũ habitu induta Ioanni 22. Papa apparet.

Confirmatio Pontificis.

Quæ extrema Pontificis verba apertè declarant id quod à me dictum est, nimirum hæc scapularis priuilegia immediatè à Christo deriuata, nobis à Beat. Virg. Mariâ concessa, & tandem à summis Pontificibus confirmata & approbata: à nullo citra censoriam notam aut debere, aut posse in dubium reuocari. Prædictam namque Ioannis 22. Bullam de verbo ad verbum Alexander 3. transcripsit in suâ quæ incipit, *Vniuersis & singularibus*, &c. *Datum Romæ apud S. Mariã Maiorem Pontif. nostri*

anno primo. Illiùs verò exemplar Genuæ, vsque in diem hodiernum publicè conseruatur. Nec ea insueta concessio indulgentiarum, minorem fidem requirit, quàm quod referunt fidissimi authores. De indulgentiis Patrum Franciscanorum supernè concessis, & à Pontificibus approbatis; de Ecclesiâ S. Ioannis Lateranensis Romæ non hominum, sed Angelorum ministerio à Deo dedicatâ: de S. Alberto Drepanensi nostri Ordinis, quem cælites videntibus vniuersis qui sancti exequias prosequebantur, in sanctorum album relatum pronunciarunt, cantando illum Psalmi versiculum, *os iusti meditabitur sapientiam*, de aliis denique sexcentis. Commune siquidem Philosophorum simul & Theologorum axioma est, Deum posse per seipsum quidquid agit cum causis secundis.

Multa Deus facit per seipsum, quæ solet facere cum creaturis.

Altera prærogatiua continetur iis honorificentissimis titulis, quibus Beata Virgo scapulare suæ erga nos charitatis symbolum, condecorauit. Quorum in serie altiorem merentur speculationem verba illa, quibus S. Simonem allocuta est. *In quo quis moriens non æternum patietur incendium.* Nec enim opinor quemquam vel mediocriter eruditum suspicari, eiusmodi scapulare infallibilem esse notam prædestinationis. Quasi verò æternas damnationis pœnas euadat aliquis, ex eo præcisè, quod Virginis habitũ in vitâ gestauerit. cùm præsertim nemo nõn intelligat vel ex primoribus fidei principiis, quotquot mortalis conscij peccati è vitâ discedunt, sempiternas flammarum pœnas haud dubiè incurrere: aliunde verò communis

2. Prærogatiua scapularis, facilis & si homo fidelis sit, non incerta salutis acquisitio.

ſanctorum doctrina eſt & orthodoxa, nullam omnino aliam viam ſupereſſe ſalutis, præter gratiam, quam vocant iuſtificantem, ſiue illa habitualis ſit, & à Deo immediatè in animam infuſa; ſiue actualis tantum, ac per validiſſimos actus contritionis dilectioniſue interiùs comparata.

Sola gratia habitualis vel actualis hominem iuſtificat, & hæredem æternæ ſalutis certiſsimè facit.

Germana itaque interpretatio bipartita hæc poteſt afferri. Prima, vt iſtuc priuilegium de numero indulgentiarum ſit, quæ quidem omni carent effectu, niſi præſupponatur gratia ſanctificans in eo, qui eas lucratur. Quemadmodum, verbi gratiâ, propoſitio hæc nemini doctorum inſolens videri poteſt: Quiſquis recitarit quinquies Pater noſter, mille annorum indulgentias comparabit ſibi; vel qui in extremo mortis agone, ſanctiſſimum Ieſu & Mariæ nomen pronunciarit, plenariam. Quis enim neſciat hæc & ſimilia priuilegia gratiam ſupponere, lucrantis animum iuſtificantem: aliàs tametſi infinities pronunciet eas precationes, nihil vtiquè indulgentiarum obtinebit.

Duplex interpretatio.

Omnes indulgentiæ vt valeant gratiam præſupponunt.

Secunda vt ſubtilior, ita melior explicatio facillimè intelligetur; ſi concipiamus Beatiſſimam Virginem pactum ſeu fœdus, cum ſancto Simone Generali, cumque vniuerſo Carmelitarũ Ordine ſanciuiſſe: huius verò affinitatis ſiue confraternitatis ſignum & notam datam eſſe ſcapulare, quod geſtamus. Quia porrò in huius virtutem cõfraternitatis, per eiuſmodi ſcapulare ſeu habitum quaſi teſſeram initæ, relinquitur ſpeciale erga Carmelitas virginis patrocinium: & viciſſim illius geſtatione ſtemmatis, palam & apertè profitemur præcipuæ

Confraternitatis inter B. Virginem & Carmelitas initæ ſignum eſt ſcapulare.

cultum seruitutis quâ nos nostraque omnia voto etiam publicè nuncupato, Mariæ Virgini mancipamus. Hinc est quod eadem benigna parens & misericordiæ mater, memor mutuæ huius confraternitatis in vltimo mortalis vitæ momento, à quo potissimum pendet æternitas, & humana salus periclitatur: speciali patrocinio quemlibet morientem qui suæ confraternitatis habitum dignè & laudabiliter gestauerit, contra ingruentes, tunc hostis impetus ac tentationes tutabitur; adeóque peculiari sollicitudine Christum vnigenitum exorabit, vt dignetur illi morienti suscitare intimam de peccatis contritionem, sinceram à creaturis auersionem & conuersionem ad creatorem: inter motus ad salutem necessarios ingerere, præstare gratiæ auxilia efficacioris; vno verbo electorum patrimonium & hæreditatem concedere, gratiam videlicet, quam vocant finalem seu perseuerantiam, cui salus indubitata certissimè adhæret.

Quomodo B. Virgo iuuat morientes qui eius scapulare assiduè pferunt sic vt non æternum patiãtur incendium.

Ex qua quidem doctrina iurâ ac syncerâ, non obscurè colligitur veritas huius promissionis, *in quo quis moriens non æternum patietur incendium*, quantum est videlicet ex parte virginis, quæ ex fœdere nobiscum percusso, tam opportuna gratiæ efficacioris remedia morientibus nobis à Deo impetrabit, vt nisi resistamus obstinatè, verissimâ contritione simul & dilectione ad Deum finaliter conuersi, pœnas inferni & æternum illud incendium pro certo euadere possimus. Neque verò necesse est hanc propositionem, *in quo quis*, &c. (cum sit de contingentium numero; & liberum hominis arbitrium

Specialibus gratiæ auxilijs adiuuantur qui fratres sũt B. Virginis.

arbitrium inuoluat) in omnibus ad vnum, suum effectum sortiri: sufficit enim quod in plerisq; obtineat veritatem, & in omnibus quantum est saltem ex parte & Officio Beatissimæ Virginis: quæ non solum vt communis Christianorum mater, verùm etiam peculiariter vt soror Carmelitarũ amantissima, ea priuilegia impetrabit in mortis agone, iis qui dum viuerent, se illi cultu specialissimo consecrarunt: cuius specialis cultus & clientelæ nota est, signum seu tessera scapulare Virginis, quod gestarunt cum speciali itidem virtutum exercitio.

Ad hoc vt propositio vniuersalis contingens vera sit, satis est si in pluribus & vt plurimum verificetur.

In quo quidẽ sicut & in cæteris extrema duo sibi inuicẽ opposita sed æquè periculosa vitari oportet. Nam ex iis qui de pietatis exercitiis sentiũt, alij humanæ rationi supra modũ addicti *plus sapere* volentes quàm sobriè requirat *iusta mediocritas*, ita Rosario, cingulo S. Monicę, scapulari, funiculo D. Frãcisci cęterisq; in Ecclesia antiquissimis vtilissimisq; rebus fidem derogant, vt in ἀπειθειαν quandam prolapsi iberas nugas & solum deuoto fœmineo sexui idoneas reputent. Cùm ab omni tamen æuo maximâ sanctitate & doctrinâ viri, ea simplicitatis & virtutis exercitia mirum in modum coluerint. In diuersum abeunt qui *zelum Dei habentes sed non secundum scientiam*, nimiâ superstitione ita eiusmodi peculiaribus exercitiis abutuntur, vt cæteris ad salutem necessariis mediis quasi posthabitis, satis se beatos existiment si eorum alicui exercitio tenaciter adhærescant. Quos è duobus laudem, haud scio; neutrum sanè probarim, quia vtrumque video in Christiana Religione periculosissimum: hinc ni-

Rõ. 11.

Rom. c. 10.

miâ, hinc nullâ religione irrepente.

Dextrum Scylla latus, lęuum implicata Charybdis Obsidet. Virgil. Æneid. 3.

Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum existimabam' insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sũt inter filios Dei et inter sanctos sors illorũ est. Sap. 5.

Iis certe qui per contemptum vel Rosario, vel scapulari reliquisque non modo non vtuntur, verum etiam iustorum simplicitatem rebus illis piè vt decet vtentiũ irrident, dixerim verbis paululum immutatis, quod olim Philo Iudæorum disertissimus; Malo Guttam simplicis ac veræ pietatis, quàm sæcularis & incredulæ sapientiæ vas plenissimum; *Et hos quoque Deus aliquando irridebit.* Iis autem qui rebus deuotissimis nimiâ fiduciâ aut superstitione abutuntur: sibiq; certissimos cœli fauores pollicẽtur, ex eo quod præcisè vel in Virginis apud Patres Iesuitas sodalitio, vel in Rosarij apud PP. Dominicanos confraternitate ascripti sint, vel habitum à Beatissima Virgine Carmelitis concessum in vita gestauerint, sine exactissima diuinorũ præceptorũ obseruantia, immo etiam speciali cultu pietatis ad quem videntur iis exercitiis inuitari: his inquam in extremo mortis agone non abs re dictura est Beatissima Virgo, quod Beatus olim Benedictus Satrapæ cuidam & aulico Totilæ Gotthorum Regis põposo cultu & stipatu Regiã Maiestatẽ fingenti Sapientissimè obiecit; *Depone fili depone, quod enim geris tuum non est.* Nam quid frustrà Religionem vultu personato ementimur? nostrum nullum est scapulare, nullus habitus, nullum in mortis articulo Virginis Auxilium patrociniumue; nisi exteriori scapularis gestationi, interior virtutum cultus vtiquè correspondeat. Esse tamen maximum & ingens priuilegium & summè ab omnibus colendũ

S. Gregorius Magn. lib. 2. Dialog. c. 14.

nemo, eo quo dixi sensu, audebit negare. Ex quo patet Catholicâ conclusione quâ ratione fiat, vt *æternum non patiantur incendium* quotquot Beatæ Virginis Carmelitarum Patronæ cultui sese specialiter manciparunt, & huius seruitutis indicium seu tesseram Virgineum Scapulare gestauerunt; si nimirum hæc gestatio Scapularis, cum aliis mediis ad salutem ex se necessariis, coniuncta sit. Quæ media pia mater in virtutē initæ per habitum confraternitatis, abundantiùs subministrabit cùm toto vitæ curriculo, tùm præsertim in vltimo mortis articulo; si eam Christi & Christiparæ munificentiā homo non aspernetur. Itâque hoc sensu quicumq; habitum Virginis habens, motibus illis ad salutem necessariis sibi à Christo, Virgine matre exorante ob initam confraternitatem (cuius nota est scapulare) peculiariter concessis fideliter obedierit, *Non æternum patietur incendium.*

Non sufficit ad salutem scapularis gestatio; si non quisque respondet gratiis specialib⁹, quas accipit à Christo virginis precibus et intercessione.

Iam verò tertia huius Virgineæ confraternitatis prærogatiua in eo sita est, quod quemadmodum sanctissima Virgo effecit suis precibus & auxiliis, vt homo scapulari insignitus (si velit correspondere) *æternum dum moritur non incurrat incendium*; ita post mortem, si fortè superest aliqua peccatorum macula, aut reatus expiatoriis flammis eluendus (nihil enim coinquinatum intrabit in regnum Cælorum) efficiet eadem mater & soror amantissima suis precibus & suffragiis, vt sabbato proximè diem obitus consequente, aut iuxta diuinum beneplacitum à Purgatorio liberatæ animæ, in lucidissimas æternitatis sedes asserantur.

3. Prærogatiua relaxatio Purgatorij.

Hinc Bulla Sabbathina nomen duxit.

Quæres vndenam constet apud nos, tanti veritas Priuilegij & indulgentiæ? Respondeo hanc factam esse à Beata Virgine reuelationem. Instabis, omnes plerasque reuelationes fide vacillare, sic vt meritò possint vocari in suspicionem. At ego libenter equidem concedo, ita esse reuerà, si facta priuato & ignoto homini reuelatio, à supremâ Pótificis authoritate, iuxta Ecclesiæ cõsuetudinē non approbetur. Verũ vbi accedit Pótificiæ maiestatis sententia & confirmatio, non benè omnino sentire vel de pietate vel de doctrina eos qui non desinunt cauillari ac dubitare, audacter cum sapientibus pronunciarim.

Reuelationibus non facile credendum, nisi post Ecclesiæ approbationem.

Quæ suprema sedes approbauit, infirmare impium est.

Inde-adeo quoniam, vt vetus fert adagium, *pulchrum semper insequitur momus*, singulari diuinæ prouidentiæ beneficio factum reor, vt huius Carmelitici priuilegij concessio, non tantum alicui'è nostris, sed ipsi etiam summo Pontifici fuerit à Virgine reuelata; quod obseruat Reuerendus Pater Ioan. de Carthagena his verbis, *Christi vicario in terris Ioanni vigesimo secundo summo Pontifici Beata Virgo apparuit, ei præcipiens, vt euulgaret Carmelitis fratribus & omnibus cum illo scapulari sepulturæ traditis & purgatorii ergastulo detentis, meritis & assiduis intercessionibus, piisque suffragiis ac singulari eiusdem Virginis protectione, primo Sabbati die ab ipsorum habitu aduenientе, purgatorij pœnarum integram relaxationem dandam.* Hoc sibi visum contigisse narrat ipsemet Ioannes 22. in Bullâ *sacratissimo vti culmine*, quam ad verbum refert, & denuò confirmat Alexander tertius in ea Bullâ, *vniuersis & singularibus*, &c. æqualis ponderis

Huius exemptionis à Purgatorio priuilegium, non priuato homini, sed summo Pontifici immediatè factũ est.

Homil. In solẽni Cõ. B. Mariæ Vir. de Mõte Carmel. to. 4.

eſt, & momenti Bulla Clementis 7. quæ incipit, *Dilecti filij Nicolaus Audet, &c. datum in ciuitate Vellana ſub annulo piſcatoris 15. Maij 1528. Pontificatus ſui anno quinto.* Sic enim loquitur Pontifex, *die quo à ſæculo huiuſmodi Purgatoriũ acceſſerint, ipſa Virgo glorioſa Dei genitrix Maria Sabbato ſequenti ipſorũ confratrum ſiue Religioſorũ, ac ſororũ obtinet & eos viſitãdo à pœnis Purgatorij huiuſmodi eorum animas liberat.* Deniq; paucis abhinc annis Paulus nomine quintus in Bullâ datâ Romæ die 11. Febr. anno 1613. ſic ait, *Fratribus Ordinis Carmelitarum permittatur prædicare, &c. quod populus Chriſtianus poſſet piè credere, de adiutorio animarum fratrum & confratrum ſodalitatis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo. Videlicet Beatiſsimam Virginem animas fratrum & confratrum in charitate decedentium, quæ in vita habitum geſtauerint, & caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint: officiumque, &c. ſuis interceſsionibus continuis, piiſque ſuffragijs ac meritis, ac ſpeciali protectione poſt earum tranſitum præcipuè in die Sabbati, qui dies ab Eccleſia eidem B. Virgini Mariæ dedicatus eſt, adiuturam, &c.*

Quid beata Virgo præſtet in Purgatorio ijs, qui ſunt in hoc ſcapularis ſodalitio.

Refert has indulgentias Mare magnũ Carmel. & Rodericus in Bullario Regularium.

Quid verò in hoc Virginis erga Carmelitas priuilegio, licet maximo, vel noui reperias, vel inſolentis? Nam ſi contra hæreticorum veſaniam Catholicæ & nunquam aberrantis Eccleſiæ dogma eſt receptiſſimum, animas mortali vitâ defunctas, & in plenam piaculorum ſolutionem igne purgatorio detentas, non modo Beatorum qui iam in Cœlo regnãt, precibus ac ſuffragiis mirum quantum adiuuari; verùm etiam hominum adhuc in iſto fragili orbe militantium ſacrificijs, orationi-

bus atque eleemosynis sæpissimè liberari. Annon amabo fidei maximè consentaneum est ac pietati, posse ac scire, si velit, Beatissimam Virginem maternis ideoque potentioribus suffragijs, & apud vnigenitum intercessionibus, eorum animas qui virgineo scapulari tanquam certissimâ præcipuæ seruitutis notâ illius se protectioni ac venerationi in vita consecrarunt, post mortem in illo purgationis incendio adiuuare specialiùs, & iuxta diuinum beneplacitum quo præsertim die voluerit liberare, id maximè declarantibus summis Pontificibus. Egregiam, medius fidius, melliti Doctoris sententiam! quam si in huius prærogatiuæ confirmationem adduxero, nihil vtiquè videor mihi facturus alienum à veritate. *Non deest illi potestas, quia est mater Omnipotentis: nec voluntas, quia est mater misericordiæ: nec industria, quia est Mater sapientiæ.* Vndè non vanâ securitate aut temnendâ fiduciâ sibi possunt congratulari Carmelitæ, *bonâ spe* gaudentes; si modo vitam instituant tanto patrocinio Virginis, tantisque priuilegijs non indignam.

A minori ad maius.

Virginis auxilium.

Hæc mihi de Scapulari Ordinis nostri seu habitu tractim scribenti, non visa sunt præter extraue propositum; quo & exteris hominibus huius stemmatis sanctissimi memoriã refricarẽ, & nostris innuerem vt cæteris religiosis, ita nobis in cæteris *essentiã habitus esse scapulare.* Tunicã sanè habemus ab optimo Patre nostro Heliâ: at quanto excellentior Beata Virgo Mater nostra, quæ nos miraculoso scapulari liberalissimè donauit? Quamuis enim cuncti ferè in varijs Ordinibus simili quisque scapulari exornetur, nullus tamen existit, qui tam celebri con-

Essentia habitus est scapulare.

fraternitate istud à clementissima simul ac munificentissima Virgine beneficium acceperint. Notatque P. Chartagena Ordinis Seraphici Theologus insignis, gratiam Sabbatinæ Bullæ quæ eximia sacri huiusce scapularis priuilegia complectitur, non obstante Priuilegiorum inter Mendicantes reciprocâ cõmunicatione, ita esse Carmelitis propriam, vt in eius communionem præcisè nullus alter Ordo deueniat; tametsi iuxta charitatis regulam traditam à D. Augustino, & in Christianos vniuersim, & maximè in Religiosos, cùm ita placet, non solum facili ad hanc confraternitatem aditu, sed effuso etiam in omnes affectu, si quid à Deo precando obtinemus, liberaliter effundamus. *Singularis huius indulgentiæ excellentia.*

Porrò totum quod dixi de interiori habitu, aliis ac nobis præsertim vsitato, pulcherrimo Senis Heremitæ cuiusdam apophthegmate, & monito religiosis dignissimo concludam. *Cucullum quo vtimur,* (aiebat venerãdus Pater) *signũ est innocẽtiæ: superhumerale quo humeros & ceruicẽ alligamus, est signũ Crucis: zona verò quâ cingimur, signum est fortitudinis; conuersemur ergo iuxta id quod habitus noster significat.* *Moralis explicatio totius interioris habitus Monastici.* Lib. 5. vit. PP.

SECTIO DECIMA.

De Pallio seu Cappa alba.



VEMADMODVM in lege nouâ, sacrum Virginis scapulare innumeris miraculis insignitur: haud secus in veteri, Heliæ pallium non pauciora commendarunt. Nempe hoc habitu expanso vultum operuit suum, cum in monte Horeb transeuntem Deum vidit faciali *Quæ & quãta miracula Heliæ Heliadumque pallium illustrent.*

Heliã Deum vidisse facie ad faciem quo modo beati vidēt, docent plerique apud Fasolum in q. 12. 1. part.

quam vocant, seu essentiali visione, id quod docent notæ illustrioris Doctores. Hoc pallio in Heliseũ iniecto, post se successorem consecrauit. Eo vndas Iordanis hinc & inde partitus est, sic vt per altos fluminis vortices siccumiter explanarit. Iamque ignito curru sublimis raptus in aërem, pallium duplicis spiritus quem hæreditario dono Heliseo reliquit, indicium tesseramve dimisit in terram. Atque hæc effecerunt miracula, vt iure peculiari ac veneratione pallium nostri Patres gestandum putauerint. Immo si altiùs repetenda res est, & nostræ Religionis pallijque origo, visio est cum miraculo insignis: Nam vt Epiphanio placet, Dorothæo, Ioanni 44. Carthagenæ, aliisque benè multis, cùm iam iam esset nasciturus Helias, Pater eius Sabacha vidit illum ab Angelis albis vestibus indutis, infantem salutari. Quod Patriarcha de religiosis interpretatur, per Heliam instituendis: quos ideo candidatos vidit, quia Heliam velut monasticè viuendi exemplar erant imitaturi, in candore non tantum mẽtali sinceræ puritatis, sed etiam corporalis habitus albi, desuper eos tegẽtis. Nam pallium Heliæ album fuisse testatur Salianus *anno* 3139. *n.* 20. vbi de eo sic loquitur, *Melotam vocant septuaginta & Chrysostomus homil.* 8. *ad popul. & Hieron. Ex pelle videlicet ouilla factam.* Nam vt hoc obiter moneam, etsi melota propriè à Mele animali (quod etiam taxus appellatur) de cuius pilis vel pelle facta vestis, quæ est valdè hispida, melota propriè vocatur. Per extensionem tamen, quælibet vestis de pilis animalium aspera, aut de pellibus

Pallium seu Cappa peculiare Carmelitis signum.

Visio Sabacha Heliæ parẽtis.

Heliæ pallium album fuit.

Melota translatitiè appellatur.

Melota propriè quid sit?

pellibus hiſpidis facta, melota vulgariter dicitur. Hæc Ioann. 44. cap. 37. conſentitque C. à Lapide in cap. 11. ad Hebræos, vbi ducto nomine à Græco μῆλον id eſt ouis, ait Melotam per catachreſim, cuiuſuis quadrupedis pellem ſignificare. Nam & in Odyſſ. μῆλον ſignificat ouem, caprã: recte igitur Pierius lib. 23. μῆλα inquit proprie πάντα τὰ τετράποδα, vnde vniuſcuiuſque quadrupedis tergus melote dicitur. Specialius tamen ex authoribus quòs ſupra retuli, quoties de Heliâ ſermo eſt pellem vel taxinam vel Camelinam ſignificat, natiuo colore, & nullâ prorſus tinctura infectam, qua intrinſecùs ſub pallio conueſtiebatur.

Sed redeo ad Salianum, qui ſic pergit, *Fuit fortaßè alia forma communis pallij Iudæorum, ſed Helias ſicut zonâ & tunicâ à cæteris differre potuit. Abulenſis certè cilicinum fuiſſe vult, confectum de pilis Camelorum, ſicut & tunicam. At Ioannes ſignificat fuiſſe ex pilis ouinis, vt explicat quoque Serarius, laneum ſcilicet & coloris albi; quale nunc ſeuerioris diſciplinæ profeſſores Carmelitæ ferunt.* Verſibus hoc ipſum explicuit Mathurinus Pigneronæus in anagraphe Carmelitana. *Heliæ pallium deſcribitur.* *Laneum erat album.*

Candida veſtis erat quam præbuit Helias olim
Saphatidæ magno; ſimilemque tulêre nepotes.
Tu verò Aßyriũm (facies horrenda tyranne)
Vt bicolor canuſina dehinc ſit, faſcia mandas.

Et rurſus.

Incola Carmeli primus fuit Ordinis author
Helias, hic ſiquidem niueum ſibi cinxit amictum,
Et niueam ſtatuit chlamydem geſtare nepotes, &c.

Quæ fuerint Carmelitis Cappæ barratæ, & vnde ortum inter eos habuerint.

Cuius relationis veritatem explicat P. Vuastellius cap. 13. vbi commentum eorum refutat, qui somniarunt ante Regis Hommari imperium chlamydem illam virgatam, siue, vt vocant, barratam fuisse Carmelitis in vsu: probatque ex fidissimis authoribus, tùm primùm à patribus nostris excogitatam, cùm vrgente regis edicto, alba Chlamys, quæ erat Satraparum eius insigne, Carmelitis interdicta fuit. Verùm griseisne an nigris, aut rubris pannis esset interdistincta, non opus est quicquam decernere. Vero tamen similius crediderim in Palæstinâ, vbi nullum nigri vsum nostri Patres agnoscebãt, griseas fuisse barras illas seu virgulas; hocque modo indutos in has partes appulisse. Ita sentiunt Anthoninus, Chassaneus, P. Iosephus Falco vbi supra; compendium vero nostræ historiæ particulâ sextâ disertè refert *Carmelitas habuisse pallium, sed cum barris griseis.* Quod si nigras quispiam contendat concedam vltro de nigro natiuo, non autem artificiali, qui pauperibus Anachoretis non videtur fuisse in vsu: & qui in nostro speculo nigras scribũt, non specificant fuerintne tinctæ, & specialiter disiunctiuè ponunt griseas vel nigras; vt taceã iis qui hæc loquuntur non leuiter credendũ, cùm apocryphum istud figmentum lapis scãdali existat, in quem omnes cum Antonino, vt ait præfatus Pater Vuastellius, ante centum annos impegerunt, ignari quid Ioannes Hierosolymitanus in institutione, S. Cyrillus in epistolis & ali probati Ordinis nostri scriptores de hac veritate tradiderint.

Porrò albo griſeoque interuariegatum eiuſmodi pallium tulere noſtri patres ab anno circiter 1140. ad annum ferme 1285. quo tempore intercedente Illuſtriſſ. Dom. Geruaſio tituli S. Martini Cardinali, impetrarunt ab Honorio 4. vt depoſito ſtragulato pallio, ad album redirent & purè candidum. Quod expreſſâ Bullâ confirmauit Bonifacius 8. quæ ſic incipit. *Iuſtis petentium deſiderijs, &c. Quod circa huius mutationem habitus prouidè factum eſt, ratum & firmum habentes, id authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, &c.* Sub finem verò, *hanc paginam quocumque prætextu infringentem indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum incurſurum denunciamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 7. Kalend. Decemb. Pontificat. noſtri anno* 1. Enimuero ea veſtimenti mutatio, non æquis omnium animis excepta eſt. Nam Canonici quidē Regulares Ordinis Præmonſtracenſis, ægrè admodum tulerunt Carmelitas hâc pallij immutatione ſibi in exteriori habitu fieri conſimiles; cum ipſi quoque albis cappis induerentur. Ratique id in Ordinis ſui detrimētum ac vituperium vergere, noſtris in Romana curia diem dixerunt. Comparuerunt noſtri Patres, & firmiſſimis rationibus probātes, *hanc nouitatem non eſſe nouitatem, ſed meram antiquitatis repetitionem* (cuius modo non abſimilis eſt griſei coloris reuocatio) cū ipſi dudum omniū primi albis palliis ſuperinduerentur, cōfirmatâ à Pontificibus Nicolao 4. & Bonifacio 8. eâ pallij mutatione, cauſam obtinuere. Et exinde hæreditaria cādidi pallij poſſeſſio apud nos remanſit.

Authoritate Apoſtolica Cappam in totum albam reſumunt Carmelitæ.

Meritò illud quidem, etenim cùm nobis Beatæ adinstar Virginis præcipuus esse debeat erga castitatem amor, albo certe pallio siue cappâ monemur vniuersi, non solum mẽtis sanctimoniam, sed etiam integritatem corporis iugi & indefessâ sollicitudine illibatam custodire, vt iam nobis sit

Cappa alba castitatem denotat.

Candidior toga, & niueus pietatis amictus.

Nam vt cæteris contemptoribus deliciarum, quæ momẽtaneæ & persusoriæ, infixo mœroris aculeo vanescunt ac citò dilabuntur: Ita Carmelitani candoris professoribus, præceptum illud continuò debet ob oculos mentis obuersari, *omni tempore sint vestimenta tua candida.* Neque alij omninò quã *albis induti, agnum* sine maculâ perhibentur consectari: Quocirca & nobis sæcularem vitam cum religiosa commutantibus dum imponitur pallium istud seu cappa, (quam alij chlamydem, alij mandryam, alij ephestridem, trabeam, pallam: nonnulli etiam epitogium, chlænam, betam, lacernam, diphterã aut epomidem appellant) dum inquam, hâc veste exornamur, recitatur precatiũcula hæc deuotissima, *qui sequuntur agnum sine maculâ; ambulabunt cum eo in albis: ideo sint semper tua vestimenta candida in signum tuæ internæ puritatis.*

Albi coloris commendatio. — *Eccles. 9. cap.* — *Apoc. cap. 3.*

Cappa seu pallium, à diuersis diuersè appellatur.

Sanè etiam Ethnicis hominibus, *color albus præcipuè decorus Deo dicitur*; ideoq; in sacrificiis frequens erat & familiaris albi cultus vestimenti. Narratque D. Chrysostomus Christianos in plerisq; Oriẽtalibus prouinciis, nunquam Ecclesiam solemniter ingredi solitos, nisi albis & candidis vestibus splendentes. Diuus verò Ephrem S. Basilium, quia in choro albis indutus erat, cognouit Ordinis esse

Antiquis color albus honori erat, & in sacrificiis vsitatus. — *Homil. 51. in Matth.*

Christiani nunquã olim Ecclesiam ingrediebantur, nisi albis induti.

prophetarum, vt refert noster B. Soreth ex Amphiloco. A quo more non multum recedunt statuta, dum iubent nos Cappam albam ad solemniores horas, maximè sacrosanctum Missæ sacrificium deferre. Quidni enim candidâ veste induti dici possemus? cum nostris Patribus Helia, & Elisæo *æternitatis candidati*? Essenos certè candidis semper indutos scribit Iosephus: Nazaræi verò sanctissimi inter Iudæos viri, *candidiores lacte*, in Hieremiæ vaticinio describuntur.

In Præfat. expofit. Regulæ.

Thren. cap. 4.

Carmelitæ æternitatis candidati.

Quin etiam nobis inter cæteros, maximè conuenit albus in vestimentis color. Cùm ordo Carmelitarũ præcipuè dicatus sit Virgini; quam constat ex historiis & albo pallio, dum viueret, superindutam fuisse; & albo colore, in iis qui eius cultui consecrantur, mirificè delectari. Vt enim recentiora & vulgaria omittam, tradit Carnutensis historia Druidas antiquissimos Gallorum sacerdotes, geminos tauros sine maculâ & *candidi coloris* Virgini paritûræ sacrificare solitos; dumque solemni ritu selegium colligebant, maximæ in eorum mysteriis religionis herbam, palliis albis iisdemque purissimis in simplicitatis, innocentiæ & castitatis symbolum fuisse conuestitos. Est verò celebre quod à Rigordo Doctore Medico, necnon Regis Philippi Augusti Chronographo memoriæ proditum est; Nempe dum per ea tempora, bellis ac seditionibus vniuersa regio deflagraret; & iis tumultibus calamitosũ vulgus grauissimè opprimeretur: pauperi cuidam & obscuro homini in Aluerniâ, cælitùs data est Virginis effigies Christum filium

Palliũ Virginis erat album.

Qui Virgini dicati albis sæpissimè induuntur.

Victima apud Gallos Virginis parituræ pura erãt & candida.

De Mysterijs herbæ huius colligendæ agit Plin. l. 24. c. ij.

Druidæ albis induti in honorem Virginis.

Miraculum insigne pro pace inter ciues concilianda. tentis inter vlnas, cum hoc lemmate circa oram imaginis descripto, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem.* Quod vbi resciuerunt populares, qui prius implacabili odio feruebant, illicò diuino quodam pietatis sensu tacti intrinsecùs, communi voto in concordiam conspirauêre. Igitur pacis fœdere publicè sancitò, vt tanti miraculi nouitas simul & veritas transiret ad posteros, *Caputiis albis induerunt se vniuersi Monachorum more,* inquit author, quorum in anteriori parte appensas è collo gestabant imagines ad instar illius effigiatas, quæ Durando (id enim mendico nomen erat) delapsa erat de cælo.

Vestes albæ in honorē Virginis delatæ in Aluernia.

Cappa Carmelitarum mortificationis & pœnitentiæ signum. Non addam pœnitentiæ albam hanc nostram cappam posse esse signum, aut monumentum mortificationis: cùm primùm in oriente, deindè etiam in Italiâ, qui in luctu erant & squalore, pulli siue natiui nigri vsu abrogato, albis & candidis vestibus induerentur; & defunctorum cadauera priusquam ferali igne, rogo seu pirâ concremarentur, in exequiis, albis itidem candidisque togis inuoluerentur. Sed enim præcipua huiusce coloris ratio præter nostri Heliæ Patris imitationem, cultus est, vt iam insinuaui, Matris amantissimæ, cui speciali voto sumus dedicati. Quique idcirco mentis simul ac corporis puritatem, præcipuâ curâ ac sollicitudine tenemur consectari. Sapienter itaque in nostris constitutionibus ea Prioribus cura iniungitur, *vt cappæ albæ mundæ sint, & nullis sordidæ maculis, cùm ex earum puritate Virgineus color repræsentetur.* 1. parte cap. 3.

Corpora mox cremanda albis induebantur. Rosinus de antiq. Rom.

Accedit quod album hunc & verè cælestem colorem, Christus ipse consecrauit: tum in monte Thaboris, vbi interiori & diuinâ luce perfusa vestimenta, niuis candorem longiter superabant: tum verò in agone passionis, dùm albâ veste indutus est ab impio rege vt illuderetur. Quamquam ea vestis & innocentiæ & victoriæ notam extitisse, rectè meditantur authores, cùm apud antiquos Albus color signum esset victoriæ, & triumphantis trabea albo conspicua esset. Hæc igitur cappa est vtiquè Carmelitis signum victoriæ de triplici illo Gerione mundo, carne & dæmone teterrimo reportandæ. Hinc memini me legere in vetustissimis Ordinis nostri statutis de cappâ seu pallio Albo, dum eo solemni more Nouitius, vel nouiter Ordinem professus induebatur, hæc verba solemniter recitari. *Accipe hoc signum in remissionem peccatorum tuorum, & nostræ religionis augmentum.*

Albus color quasi à Christo consecratus, peculiariter colendus.

Vestis alba innocentiam & victoriam designat.

Carmelitarum cappa triplicis victoriæ signum.

Est ergo cappa alba siue candida, Carmelitanæ signum religionis, quo, vti etiam scapulari, ab aliis sumus discernendi. Quæ opinor causa impulit Patres nostros, vt nunquã foras procederemus sine hoc *signo* nostræ religionis, oculis omniũ euidenti; & ante centũ annos in statutis Venetis per R.P. Generalem Nicolaum Audet, sic iubetur expresse, *Nemo exire præsumet portas conuentus sine cappâ.* Et similiter in Regulis Congregationis Mantuanæ cap. 11. *Cappam Albam frater iturus de loco ad locum, omnino semper secum deferat.* Quam posteriorem Prioris explicationem sumus omnes in nostra Prouincia amplexati: adeò vt peregrinantibus nobis

Quando debeant Carmelitæ cappam albam gestare.

(nisi vrgens dispenset necessitas) cappam albam faciliori quo potest in itinere modo, non gestare nefas omnino existat. Quod non obscurè declaratur in Romanis constitutionibus anni 1580. quarum in capite septimo verbis definitur præceptiuis. *Ordinamus quod nulli fratres audeant aut præsumant, per oppida vel vrbes ire extra monasterium, sine cappis albis. Quæstuarij tamen accedẽtes extra ciuitates & oppida, poterunt cum pileis, & sine cappis albis, ad quæstuandũ per villas accedere. Similiter fratres commorantes in locis, quæ sunt extra mœnia in remotis.* Eiusdem omnino ponderis sunt quæ à Beato Ioanne Soreth in statutis conscribuntur. *Cappam albam portent in Missa conuentuali: & diebus dominicis ac festis, quæ plebs colit solemnibus, ad vtrasque vesperas: & in quadragesima, in completorio: & quando intrant villã sub pœnâ grauis culpæ.* Vtque prætercam exempla Heliæ & Elisæi, necnon Ioannis quadragesimi quarti de huius gestatione pallij relationem, iubent statuta Tholosana anni 1355. vt quotquot in aliud monasterium commigrare præsumpserint absque Superiorum obedientia literis ac sigillis exarata, tanquam maximâ infamiæ nota, cappâ albâ spolientur à Superiore, cuius in conuentum declinauerint.

Cappa nostra debet esse ex lana pura, & humili materia.

Iam quænam debeat esse huius pallij materia, insinuauit prædictus Pater Salianus vbi scripsit, *Laneam esse debere, vt erat ouillum Heliæ Patris nostri exuuium.* Addunt statuta Veneta ex mediocri, & humili materiâ constare debere. At enimuero quoniam ætate B. Sorethij ipsâ cum temporis deprauatione,

prauatione, morum corruptio, veſtis quoque antiquam ſimplicitatem corruperat; ſtuduit imprimis egregius Ordinis ſibi commiſſi reformator, non tantum viuendi genus, ſed veſtitus quoque rationem, ad priſcam formam reuocare. Quamobrem vt narrat R.P. Vbalterus de Terra noua in illius vitâ, *in ſtatutis nouis quæ ad reformationẽ ſui Ordinis cõfecerat, præcepit griſeis vti veſtibus.* Quia verò ſimul ac ſemel defectus omnes corrigere non eſt humanæ imbecillitatis, *in proceſſionibus quæ fiunt in* Capitulu *de Sargio portare placuit.* Quid autem ſit Sargium mihi certè non ſatis liquet: accepi à nonnullis lineam eſſe veſtem, ab aliis tamen probabiliùs, genus eſſe panni delicati ac precioſi in Belgio celeberrimi. Nam & ipſe B. Pater planè paulo ante inducitur fratrem Liuinum nomine redarguens, *quod ſcapulare latum valde de Sargio haberet*, de lino non eſt veriſimile, ſed de lana pretioſiori, quam tunc complurium vſu receptam in cappis, noluit ſtatim in totum abrogare, licet in tunicis, ne rigidior feſtinantiùs reformationem videretur maturare: ſed vti maior vniformitas & honeſtas ſeruaretur permiſit deferri, in proceſſionibus tamen quæ fiunt in Capitulis, Generalibus opinor & Prouincialibus, non autem vbiquè indiſcriminatim, cùm ipſe veſtimenti humilitatem, paupertatem ac ſimplicitatem ſectaretur vbiquè, & iis quos in dies reformabat ſummopere commendaret. Hanc porrò ſargiam, vt conijcio non ita multo poſt omninò ſuſtulerunt ſtatuta Veneta per R. P. Nicolaũ Audeth, vbi prohibent ſub grauiſſimis pœnis vel tunicam, vel ſcapu-

Cappa ex Sargio aliquo tempore permiſſa.

Sargiũ panni genus lineum, intersericum vel probabilius laneum pretioſiſſimum & delicatiſſimum, fortè du Camelot.

O

lare, vel ipsam etiam cappam fieri *ex panno* precioso seu de duplici sargiâ quæ saia rasa, seu Attrebatensis dicitur Et verò dum ipsius B. Sorethij, Nicolai Audeth, antiquæ demum omnes constitutiones de permissâ nobis vestimenti materiâ præscribunt, communi & eâdem voce simul edicunt, *vestimenta fratrum lanea sint.*

Sola lana nobis in toto corporis vestitu permittitur.

Restat de formâ nostri huius pallij, seu cappæ albi coloris. Atenim quemadmodũ in vniuersâ orbis istius prouinciâ quæcumque sunt, à Deo ordinata sunt: ita nihil prorsus reperitur in Religioso ordine, quod firmissimis legibus nõ sit à superioribus ordinatum: præstat ergo superiorũ statuta, necnon Ordinis cõstitutiones inspicere; vt discamûs quænam debeat esse Carmelitis cappæ forma, tàm secundùm longitudinem, quàm secundùm latitudinem an breuis, an longior; an ampla, an verò angusta? quomodo clausa, aperta, rotunda & cætera? Ac primò quidem vt gradatim procedamus, Romanæ constitutiones anni 1580. iubent hoc modo, *Quilibet frater habeat cappam albam consutam à parte anteriori, talis longitudinis, vt breuior sit superiore tunicâ.* Breuiorem imperant, sed quâ quantitate, iam fuerat prædeterminatũ Venetiis, in Generali Capitulo anni 1524. *Portet tunicam vsque ad talos, & nullo modo demissiorem, cum manicis non multum amplis, & sit caputium breue & angustum: & patientia seu scapulare breuius tunicâ vno palmo; similiter cappa alba sit breuior tunicâ vno palmo, more Obseruantium.* Et annis ante quinquaginta, vexillum Carmelitarum continens statuta B. Sorethij, recepta in Capitulo Generali Bruxellæ celebrato an. Dom. 1467. *Quilibet frater*

Quanam debeat esse forma Cappæ, seu pallij Carmelitarum.

Ordo anima mundi ait Arist.

Cappa breuior esse debet veste seu tunica superiore.

Tunica vsque ad talos.

Manica non multum ampla.

Caputium.

Patientia sine scapulare.

habeat cappam albam talis longitudinis, vt breuior sit tunicâ vno palmo. Eadem verba habent antiquissima anni 1355. *habeant cappam albam talis videlicet longitudinis vt sit breuior tunicâ grisea vno palmo,* id est, *vsq; ad mediã tibiã* addũt statuta I. Balistarij 16. G. an. 1358. Nam quia, vt norunt periti, duplex est palmus, maior videlicet & minor: breuitas hæc nostri pallij determinata ac definita ex ipsis primis principiis fideliter repetenda est: vestigãdum, inquã, cuius fuerit formæ cappa seu palliũ Heliæ Patris nostri ac Patriarchæ.

I. Balistarij hæc statuta habentur Tholosæ & à pluribus capitulis Generalibus fuerũt confirmata vt habetur in speculo Carmelitarũ.

Duplex palmus maior & minor.

Præclarè siquidem ex huius exemplari de formâ, quam imitari debent in cappis Carmelitæ, definiunt Trithemius Abbas Benedictinus, & illo longe antiquior Ioannes Patriarcha, qui in primæua Regula seu institutione, quam tradidit Carmelitis, fusè & expressè de totâ vestium conformatione præscribit. Porrò vterque iisdẽ omninò verbis cappæ Carmelitarum, seu pallij formã describit. *Pallium autẽ,* istud inquiunt, *fuit vestis rotunda, à collo vsque ad medias tibias totum corpus operiens; anteriùs aperta, sed alibi vndique clausa: superiùs angusta, inferiùs amplitudine expansa.*

Lib. de laudib. Carmel 1. c. 6.

Lib. de Instit. primorum Mona. cap 40.

Palliũ Carmelitarũ Heliæ pallio simile esse debet. Nam ideò illud ascendens in aerem, Eliseo & discipulis ac successoribus dimisit in terram.

Helia palliũ et in eo Carmelitarũ cappa describitur.

Quibus ex verbis, duas aut tres nostræ cappæ proprietates colligo: quæ nos in hoc signo Carmeliticæ Religionis à cæteris omnibus distingunt, ac discriminant. Debet enim (vt statim in limine annotabam, & docẽt statuta Ordinis) cappa & vestis Carmelitarũ, *ita & taliter conformari, quod fratres nostri sint & videantur alij.* Prima igitur cõditio, & distinctionis nota elucet in his verbis, *inferiùs amplitudine expansa*; non enim ita debet antiqua Carmelitarum cappa inferiùs astringi, aut coarctari, vt nullâ am-

Ex habitu cognosci debet Carmelita.

Sect. 1. R.P.M. Nicolai Audeth

Prima conditio cappæ Carmeliticæ vt inferius ãpla sit.

plitudine expandatur. Sed hæc modica debet esse amplitudo, ex quâ diffusione in orâ inferiori, exurgit secundus caracter; vt nimirum superiùs angusta sit, & decenter circa collum plicis redundantibus ex imâ amplitudine collecta seu crispata.

2. vt superiùs in angustum orbiculatim colligatur.

Tertia deniquè omniū euidētissima expresè designatur, cùm ait primus Carmelitarum Regulæ author, *Pallium autem istud fuit vestis rotunda, à collo vsque ad medias tibias totum corpus operiens*. Ad medias, inquam, tibias descendat, non verò ita diffusa, vt ad talos diffluat vndatim; cū statuatur expresè in Ordinis constitutionibus, *vt cappa alba sit breuior tunicâ vno palmo, more Obseruantiū.* Tunicam autem debemus, ex iisdem statutis, portare *vsque ad talos, & nullo modo demißiorem.* Ex quo manifestum, cappam debere ad mediam circiter tibiā pertingere, neque notabiliter supra decurtari, aut infra protendi. *A collo vsque ad medias tibias totum corpus operiens.*

3. vt sit ad mediās tibias

Et hæc definita circa medias tibias, nec vltra pallij nostri profēsio, maiori diligētiâ videtur obseruāda, non solū vt faciliori modo à nobis (prout iubemur in statutis mox allegatis) in viâ & itinere portetur, quod multū afferret incōmodi, si esset lōgior verùm etiā vt extima hæc Carmelitarū vestis quæ prima hominū oculis apparet, & penes quā potissima diuersæ professionis notitia attēditur, apparēter distinguatur à cappa seu pallio itidem albo, quo R. Patres Ordinis Prēmōstracensis sunt in Ecclesiâ in-

Non, debet Carmelitana cappa mediam tibiam transilire, tùm ne confundatur cum Præmonstracensi, quæ ad talos desinitur, tum ne in via nimis sit incōmoda, eam enim dum itineramur seu per gestare debemus ex statutis.

ſigniti. Hæc namque celeberrimæ Religionis cappa, cum noſtrâ vtique conuenit in albo colore: differt autem (ſi modo antiquitas, ſtatuta & conſtitutiones obſeruentur) differt, inquam, in breuitate. Carmelitarum namque pallium ad mediam circiter tibiam, ex vi regulæ & ſtatutorum ſolum deſcendit, contra Præmonſtracenſium ad vſque talos pertingit, vt docet P. Seruantius in Catechiſ. nouit. loco ſuperius laudato. Quod ſi hæc tollatur longitudinis diſtinctio quid quæſo relinquetur? mera certè confuſio, & exterioris veſtimenti identitas; quam ſummi Pontifices ita ſemper prohibuerunt, vt non modò religioſos à ſæcularibus, verùm ipſos etiam religioſos diuerſæ profeſſionis: Et quòd magè mireris, eiuſdem Ordinis & regulæ profeſſores, inter ſe (ſi congregationes notabili pacto differant) veſtium quoque forma & ratione diſtingui iniungant.

Hinc eſt nimirum, quod RR. PP. Bernardini, Camaldulenſes, Fullienſes veſtimenti formâ diſcrepent à cæteris Diui Benedicti ſectatoribus. Hinc quoque RR. PP. Franciſcani de Obſeruantiâ, Cappucini, Recollecti & alij, expreſſo etiam Pontificum beneplacito veſtibus inter ſe diſtinguantur: tametſi eundem agnoſcant Patriarcham: eandem regulam profiteãtur. Hinc deniquè (vt ad noſtros deueniam) RR. PP. Carmelitæ diſcalceati, vt fuêre in reliquis præcipuâ religione cõſpicui: ita prorsùs religiosâ hâc obſeruantiâ, non vulgariter commendantur. Hæc ſiquidem nobilis & inclyta con-

Non modò Religioſi à ſæcularibus, & alterius ordinis ſed etiam diuerſæ congregationis in eodẽ ordine veſtimenti forma diſtinguũtur.

gregatio, vestes & similes retinuit, & simul dissimiles. Similes, quia vt disertè scribit P. Ioannes Carthagena Ordinis Minorum de Obseruantia celeberrimus Theologus. *Malè nonnulli decipiuntur falsò existimantes Beatam Tharasiam, nouam aliquam in Ecclesia Dei religionem induxisse, aut alicuius noui Ordinis fundatricem extitisse. Ideò compellor dicere Beatæ Tharasiæ eam mentem fuisse, vt eandem religionem Carmelitanam, quam profitebatur ad pristinum rigorem primaui sui instituti reduceret.* Et lineis interiectis. *Sanè*, inquit, *Beata Tharasia filia fuit Ordinis Carmelitani calceati: ab eo fuit instituta, in eo diuinus fulgoribus illustrata, in eo cælestem spiritum concepit, ac charismatibus supernis diuinitùs fuit præuenta, & à Spiritu sancto edocta, vt intra Ordinem Carmelitarum manens asperiorem & pauperiorem viam ingrederetur. Ardentissima igitur charitas, quam Beata Tharasia concepit inter moniales Ordinis Carmelitarum, peperit paupertatem discalceatorum eiusdem Ordinis, ac planè Apostolicam illam viuendi rationem.* Tandem apponit conclusionem. *Filia igitur est legitima Beata Tharasia Ordinis Carmelitani calceati: Mater tamen discalceatorum, & reformationis eorum auctrix & fundatrix.* Sed dicam reuerà, sicut gloriatur Carmelus de tàm illustri prole & nobili filià; ita nemo est Carmelitarum qui modo viuunt spirantque, & anhelant ad anteriora perfectioraque, quin eam ipsam sororem, matrem, parentem agnoscant, & calens adhuc Carmelitanæ perfectionis exemplar, toto nisu conetur imitari. Sed redeo.

Homil. 4. com. 4.

S. Theresia in ordine Carmelitarum nouam vestitus formam instituit, vt ab alijs eius congregatio distingueretur.

S. Theresia in ordine Carmelitano verè Apostolicam viuendi formam instituit.

Quoniam, vt vidimus ex illo Doctore, non

diuerſum Ordinem conſtituit, nec veſtem quoque mutauit Carmelitarum propriam & antiquã. Nam & RR. PP. Diſcalceatos griſeo ſeu Carmelino colore conueſtitos, & tunicâ, zonâ, ſcapulari, caputio, cappâ inſignes fructus facere & Patre Heliâ, & Matre Thereſiâ digniſſimos videmus. Aliunde verò quia ſpecialem conſtituunt in Ordine congregationem, priuatiſque ſuperioribus gubernati, non modo laxatam diſciplinam reſtrinxerunt: Verùm etiam plurima & maximè laudanda ſupererogationis opera, ex regulæ conſilio addidere; neceſſum fuit (quod patet ex præmiſſis) vt in exteriori non conuenirent totaliter cum reliquis Carmelitis, quos præcellunt vitæ auſteritate: ſed in veſtimentorum formâ, non tamen colore, vt patet in aliis Ordinibus, notabiliter diſtinguerentur. Et hæc neceſſaria diſtinctio, in tribus præcipuè ad oculum poteſt deprehendi in cappa præſertim, quæ eſt ſignum Carmeliticæ Religionis extrinſecum, & apparens euidentiſſimè.

Antiquam Carmelitani ordinis veſtem non totaliter immutauit Cõgregatio reformata ſanctæ Thereſiæ.

Primò in Caputio quod habent & breuiſſimum & maximè anguſtum, ſimillimum nempe caputio Patrum Franciſcanorum, qui de Obſeruantia, ſiue Recollecti appellantur: Cæteri Carmelitæ, vt omnibus notum eſt, latius habent & longius: non breuiſſimum aut anguſtiſſimum, ſed vt præſcribunt ſtatuta, ante centum circiter annos apud Venetias conſcripta; *breuè* dumtaxat *& anguſtum*, ſumma brachiorum & ſcapularum decenter circumoperiens, ante & magis retro modicùm deſcendens.

In tribus, quod cappam attinet, Carmelitæ diſcalceati à cæteris diſtinguũtur.

1. diuerſitatis nota in Caputio.

2. in amplitudine.

Secundò communis Carmelitarum cappa, amplitudine expansa est inferiùs, per diuersos scilicet pannos & assutitios à collo ad mediam tibiam sinuosè ob plicaturas perpẽdiculariter descẽdentes, non verò vnico panno, aut circumiectè corpus circumoperientes, & ob eos sinus siue plicas superiùs crispata vel collecta quod vtrumque non retinuerunt nostri Patres discalceati.

3. in longitudine ad mediam tibiam.

Tertiò denique, ex præscripta Ioannis 44. Patriarchæ Hierosolymitani regula, antiqua & propria Carmelitarum Cappa, ad instar pallii Heliæ efformata *à collo descendit vsque ad medias tibias*, cum ob rationes præallegatas, consultò elegerint RR. PP. Discalceati longè ac multò breuiori cappâ, seu albo pallio insigniri circa genua finiente, vt omnium ac singulorum oculis manifestissimè patet.

Similem omnino habitum deferre sub pœna excommunicationis cautum est.

Hanc porrò in cappis reliquoque vestitu distinctionem (quam pluribus exemplis & authoritatibus necessariam demonstraui) ita gratam acceptãque habuerunt summi Pontifices vt expresśis Bullis factam confirmarint, & districtè prohibuerint sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, *Ne Superiores vel fratres prædictæ congregationis discalceatæ habitum discalceatorum huiusmodi, quibusuis personis non seruatâ formâ in regulis & statutis præscriptâ conferãt.* Item *Eremitæ & cæteri omnes siue sæculares, siue alterius Ordinis fratres, ac etiam huius, qui extra congregationem prædictam, illiusque superiorum curam & obedientiam degentes, scapulario & cucullâ etiam sine pallio (quo ipsi fratres discalceati itinerantes sæpè non*

non vtuntur) aut saltem pallio vel scapulari more eorumdem fratrum Discalceatorum vti, aut alias eorum habitum, vel ita consimilem, vt propter eum fratres eiusmodi congregationis credi possint, deferre ac gestare præsumant. Hæc ita sanciuit Sixtus Papa V. tum quia vt præmittitur in Bullæ dispositiuo, *Multi ex alijs Ordinibus minus idonei & approbati, ad ipsos fratres Discalceatos: & vice versâ complures eorumdem fratrum Discalceatorum, ad Mitigatos & alios aliorum Ordinum se transferebant: tum quia nonnulli quoque ex dictis Discalceatis, habitum per eos gestari solitum, non seruatâ formâ in regulis & statutis prædictis præscriptâ conferebant: & multi quoque pro Eremitis se gerentes, tum etiam alterius professionis religiosi, vt eis copiosiùs succurratur, vel aliàs habitum præfatum propriâ autoritate assumere, & interdum scandala habitu quem præ se ferunt indigna, præsumebant; non sine graui animarum suarum detrimento, dictæque Congregationis præiudicio & opprobrio.* Eadem omnino repetit, & iisdem planè verbis confirmat Paulus quintus in Bulla, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem, &c.*

Identitas vestimenti & totalis similitudo prohibita.

Ex quibus certissimâ conclusione elicio, nefas esse non sæcularibus modo, sed cæteris etiam religiosis; imo Carmelitis qui in prædictâ Discalceatorum congregatione non sunt ascripti, scapulare, cucullam, pallium & totam vestimenti rationem ita consimilem gestare, vt fratres Discalceatæ congregationis credi possint; & ab eis nullo pacto distinguantur. Quo planè modo multis iam retro annis Sixtus 4. & alij Romani Pontifices (vt habetur in mari magno apud Rodericum in Bullario

Communem Carmelitis habitum deferre, alijs etiam intra ordinem separatæ congregationis vetitum.

Regulari.) inhibuerant, *vt nullus siue sit in Religione & Ordine, siue extra Ordinem constitutus, habitum nostrum aut ita consimilem, vt propter eum frater Carmelitarum credi poßit, deferre præsumat.*

Duplex tantum in ordine Carmelitico vestimentorum forma notabiliter diuersa.

Duplicem itaque formam vestimenti reperio in Ordine Carmelitarum, quam nec aliis licet imitari: nec ipsis qui intra Ordines sunt, sed diuersæ Congregationis, licet permiscere. Prima tam in antiquis statutis, quàm in Ioannis 44. institutione, determinat tunicam griseam vsque ad talos, scapulare eiusdẽ coloris, caputium, & cappam siue pallium albi coloris, à collo vsque ad medias tibias totum corpus operiens, & isti ita consimilem ab alio gestari, vt frater Carmelitarum credi possit aliquis, summi Pontifices interdixerunt.

Altera colore griseo retento, qui Ordini proprius esse creditur & antiquus, à Sãctissimâ Matre Theresiâ, & religiosissimâ Carmelitarum Discalceatorum congregatione instituta dum in Ordinem Congregationem instituerunt, præter nuditatem pedum ingentis specimen austeritatis, quod & ad exteriorem quoque habitum pertinet, scapulare habet breuius: caputium seu cucullam breuissimam, & maximè angustam proximè ad instar PP. Recollectorum; cappam non ita amplam aut expansam perpendiculatim, nec ad medias tibias, vt definiunt Trithemius & Ioannes Patriarcha; sed longè breuior, desinens paulominus circa genua aut circumcirca. Et hæc forma habitus ita propria est reformationis discalceatæ à sanctâ Theresiâ gloriosissimè institutæ, vt alij omnes qui illũ pro-

priâ autoritate assumerent, aut gestarent, ita vtiquè consimilem, vt fratres Discalceati credi possent, ipso facto excommunicationis anathema incurrant. Adeò verum est quod initio huius sectionis præmisi, voluisse semper Romanos Pontifices notari distinctionem, inter vestes Monachorum.

Sed iam scopum ad quem stilus collineauit assequutus, satis apertè videor mihi demonstrasse, sanctum Heliam Ordinis nostri gloriosissimum Patriarcham, & melotâ hoc est pullâ siue griseâ tunicâ saltem naturaliter nigrâ, nec vllo penitus artificio tinctâ indutum fuisse: zonâ desuper pelliceâ subcinctum; inde superhumerali eiusdem grisei, castanei seu Carmelini coloris: ad extremum pallio in totum albo ornatum fuisse. Quam vestimenti materiam, formam & qualitatem quantum ferunt æui mores, & patitur temporum diuersitas, mero antiquitatis studio & pietatis auitæ, nostri Patres conantur imitari; non secus ac tanti Patris virtutes eximias, per quam vellemus in cultu morum interiori exprimere ac representare. Quamobrem iam ad meos Carmelitas sacram Heliæ propaginem, Mariæ matris sobolem; illius filios, huius amantissimos fratres sermonem conuertens, audebo dicere cum Poëta non inerudito. *Collectio & conclusio.*

Nunc iuuat Heliadas (si quidquam in veste iuuare
Et color & species possunt) & mente referre
Antiquos & more Patres: quibus Helias olim
Et genus & vestem tribuit, cæloque vocauit.

SECVNDA RATIO OBEDIENTIA.

SECTIO PRIMA.

Expreſſo ſtatuto iam olim griſeus color Carmelitis imperatur.

Omen veteres & auſpicium captabāt ex nomine.



ILITARES olim copias ex vmbratili pugnâ in apertum Martem legitimumque certamen educturis Romanis Imperatoribus, abs fœlici aliquo nomine publicum agminis cenſum exordiri ſolemne fuit. Quippe arbitrabantur ſuperſtitioſâ quadam & anili opinione imbuti, accepto eiuſmodi augurio, cœlum tunc dextrûm intonare: adeoque auſpicatum nomen, omen eſſe victoriæ de hoſtib⁹ haud dubio reportandæ. At mihi qui ſub eius obedientiæ ſignis glorior ſtipendia mereri, cuius diſciplinæ ac legib⁹ Chriſtus ſeruator, poſteaquam noſtræ mortalitatis trabeam indutus eſt, nomen dedit ac vitam; mihi inquam hæc rationum præſidia agminatim enumeraturo verâ nec euanidâ religione, ecquod nomen melioris ominis primum poteſt occurrere ſecundùm antiquitatem quam obediētia? Quænam, amabo, fœlicior teſſera? quod auſpicium magis fortunatum?

Fœlix auſpicium obedientia.

Quando præsertim ex mente ac sensu Diui Augustini, *Obedientia maxima virtus est, & vt sic dicam origo omnium virtutum.* Sane quidem impium foret hostiam cædi aut mactari aliam ab ea, quæ authore Deo & interprete D. Gregorio magno, *victimis omnibus & sacrificiis excellit.* Agedum procedamus tam bono omine, *& hoc signum magni Regis sequentibus,* satis superque arbitremur, vt non tam Gentilitio more lætum pœana, quam Christiano de mendaciis & superinductis veritati erroribus, *victorias loquamur.*

Melior est obedientia quã victima 1. reg. cap. 15.

Victimæ sũt obsequia obedientiæ. in Reg. lib. 4.

Vir obediens loquetur victoriam. Prou. 21.

Rem ergo totam vtique videor mihi confecturus, si modo hac super lite tria summatim rebus addixero necessariis. Primum enim quidem hanc vestimenti mutationem, qua de controuertitur nobis à Superioribus reuera iniunctam contendo; ac proinde quotquot sacro nunquam fallentis obedientiæ impulsu, à nigro colore desciuerunt, culpâ prorsus vacare. *Superioribus enim viris iudicium verum Deus dedit, subditis obsequij gloria relicta.* Pergo deindè vlterius & nobis quidem (de se alij viderint, cùm in salutis negotio pro se quisque viri) nefas omnino extitisse acriter sustineo, hanc legem ferente primum Reuerendissimo Patre Generali, & ferente ex totius consensu Capituli generalis vllatenus detrectare; quandoquidem eiusmodi sancire liberè, & potest, & valet: alioquin nulla prorsus authoritas Superioris, inferiorum obedientia nulla. Iamque ruit funditus omnis vitæ monasticæ disciplina. Cuius tamen formam sanè optimam duobus verbis, verè haud minus quàm

Propositio.

Cornel. Tacit. annal. 6.

Superioris imperare est, inferioris obedire.

P. Petrus Raymundus F. Joannes Soreth. P. Sebastianus Fantonus pro Griseo colore statuerunt.

Omnis Respublica duobus principijs innititur.

eleganter expressit D. Augustinus. *Cùm scilicet in ea seruiunt inuicem in charitate, & præpositi consulendo, & subditi obtemperando.* *Lib. 14. Ciuit. cap. 28.*

Hanc coloris mutationem superiores non modo reuera imperarunt, sed etiam potuerūt & debuerūt ex congruo.

Ad extremum, eiusmodi præceptum non amplius quidem de facto impositum, quod in hoc negotio multum habet ponderis ac momenti: nec dum potuisse iniungi, quod plus vrget; verùm etiam, quod causæ interest plurimum, debuisse id imponi, vt pote congruum imprimis ac necessarium, haud dubiis rationibus pro virili demonstro.

Antiqua statuta imperant Griseum interdicto nigro, cum tamen nulla omnino interdicto griseo nigrum imperent.

Atque vt nostra causa altioribus repetita principiis, sic quasi stabiliori fundamento ædificij moles immota consistat; dico planè singulari quodam diuinæ prouidentiæ beneficio factum, vt maiores nostri multis retro sæculis interdicto, vel omisso, aut certè ad summum permisso duntaxat nigro vestium colore, griseum cuius modo vsus à nobis postliminio reuocatus, quasi de nouo inuectus perperam suggillatur, nouis subinde statutis, ratis constitutionibus, & quò res vulgaretur magis, simulque stabiliretur, variis temporibus, variisque in locis Carmelitarum vsui deputarint. Et sanè in vetustissimos codices, & perantiqua Ordinis statuta, ad quorum normam sunt vitæ religiosæ officia perpendenda, & omnes nostræ actiones examussim dirigendæ, solertiùs inquirenti: occurrit primum, ne abeam longius, grauissima authoritas R. P. M. Petri Raymundi Galli totius Ordinis nostri quondam Generalis. Hic astipulante Paleonidoro l. 3. c. 2. nostræ Religionis regimen excepit, post Reuerendissimum P. M. Petrum de Caësa,

insigni pietate & doctrinâ virum, qui perfunctus Generalatus officio per annos 12. abs Clemẽte VI. summo Pontifice Vassionensis Episcopatus infulis auctus: deinde in Patriarcham Hierosolymitanum assumptus, tandem excedens è viuis in Vassionẽsi Ecclesia honorificè conditus est, vbi & miraculis elucescere perhibetur. Igitur anno D. 1343. die Pentecostes Lugduni in Capitulo generali communibus suffragiis electus in Superiorem præfatus Pater Petrus Raymundus, Gallus Prouinciæ Narbonæ ante omnia impositam sibi Prouinciam attentè cogitans, diuersa Ordinis statuta in volumen vnum colligere animum adiecit. In eorum porro rubrica 12. cui titulus est, *de vestimentis & calceamentis fratrum*, adeo non meminit nigri coloris, vt hoc prorsus vetito griseum præcipiat vnicè; & quidem ita clarè, ita disertè, vt si eius authoritate stare velimus (quod certè nemo nostrum non debet) nullus omnino supersit dubietati aut ambiguitati locus; ipsissima eius verba huc transcribere pretium est. *Vestimenta fratrum* (inquit statim initio rubricæ) *lanea sint eiusdemque formæ, vt habeant fratres tunicas griseas, rotundas vsque ad talos descendentes.* Deinde paucis interiectis, *habeant scapularia eiusdem coloris, cum tunica vsque ad mediam tibiam descendentia, & non vltra.*

Nota, lector, hunc fuisse Gallum, & griseum nihilominus velut iam vniuersim receptum præcepisse. Et quidem in capitulo Generali in Gallia celebrato.

Materia forma & color habitus Carmelitici.

Hic paulum te moror, amice Lector, audisne? Superior est qui loquitur, & quidem Generalis, & Gallus, ergo inferiores Superiori obediant, ergo ad omnes extendatur illud præceptum necesse est; omnes eo inuoluuntur, nullum habet eximium, nullus excipitur; non distinctio

Galli aut Itali, non videas vllatenùs Ciſalpinos à Tranſalpinis diſcriminari. Et nihilominus tamen de Gallis ſæpè ſermonem infert, cùm inter decem & octo Prouincias, quibus tùm noſtra conſtabat Religio, Franciæ meminerit, & Lutetiæ ſtudentibus regulas præſcribat, cùm hâc ipsâ, tùm fuſiùs rubricâ 16. Eſt ampliùs quod dicam, & cui credas, nec lubet loqui Paleonidorum loco ſupra mihi laudatum, introduco. *Tholoſæ in Gallia anno 1355. celebratum eſt*, inquit, *Capitulum generale, in quo fuerunt confirmata ſtatuta per Reuerendiſſimum P. Petrum collecta.* Ecce vniuerſus ordo in eum colorem conſentit, conſpirant vniuerſi, Comitia celebrantur, in ipſo Galliæ ſinu, nullus tamen exiſtit qui reclamet, qui obluctetur. Ergo griſeum colorem iam tunc in Gallia viguiſſe manifeſta concluſio euincit.

Griſeus color antiquus Carmelitarum color, etiam in Gallia.

Sed inquies futile argumentum; faciamus enim griſeum ſtatuta imperare, at nigrum ex eo vetari non ſtatim conſequens eſt. Immo verò & iſtud conſequens de facili probarem, niſi moneret Ariſtoteles peccari à Philoſopho, tùm cùm oſtendit aliquid per longiores verborum ambages, quod 8. Topic.
compendio licet demonſtrare. Nempe eo ipſo loco Griſeus color ita præcipitur, vt niger ſingulis ac vniuerſis diſtrictè maneat interdictus. Sic enim illic expreſſè habetur. *Nullus frater portet veſtes aliquas de panno tincto, vel lanâ tinctâ; quod ſi fecerit veſte priuetur, & grauiori pœnâ rigidè puniatur.* Tùm deinde pergens ad interiora veſtimenta, illud ipſum inculcat, *Et ne quis camiſiis vel habitu de lanâ tinctâ*

Fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora.

Omnis tinctura artificioſa etiam nigra à Carmelitarum veſtimentis interdicta eſt.

tinctâ seu panno tincto vtatur. Denique & totum obsignat seueriori clausulâ, *volumus* (ait) *quod prædictam constitutionem & pœnas, Priores Prouinciales in suis faciant Prouincijs firmiter obseruari.* Nihil clarius, meridiana lux est, sic vt ausit negare nemo, nisi qui pertinaciter constituerit omnia pernegare.

Nec dissimulabo; statim atque in istas Ordinis incidi constitutiones, vt hæc verba attentis oculis vidi, legi, examinaui: vix potui modestiam imperare ipse mihi, quin riderem, immo lugerem, aut etiamsi fas fuisset à Deo, & à meis, acerbissimè indignarer, griseum hunc nostrum colorem nouitatis insimulari. Quamquam certa me spes tenet, neminem futurum qui non libenter acquiescat, vel hoc vnico veritatis testimonio; quippe, *manifesta negare*, inquit Philosophus, *irreuerentia est.* Et Christianæ eloquentiæ princeps Lactant. *Apud bonos iudices satis habent firmamenti, vel testimonia sine argumentis, vel argumēta sine testimonijs.* Neque enim (audacter dicemus, Diuo nobis præeunte Hieronymo) *noua sic cudimus, vt vetera destruamus*; imo reuulsâ nouitate quæ sæculi corruptelæ succreuit, antiqua reuocare connitimur; quod planissimè liquet ex ipsissimis verbis statutorum, quæ apud nos in vetustissimo codice manuscripto, cautè asseruantur. Certè ipsissima verba fideliter à me hoc loco relata vtique affirmarem, nisi animo religionem iniiceret Basilidis apud Nicephorum militis laudatissimi, generosum perinde ac prudens responsum, *Iurare mihi nefas est.* Cæterùm ne commenta & antiquas diphterias suspiceris,

1. Rhetor.

Lib. 4. D. instit. cap. 22.

Epist. 115. ad Heliod.

Manifesta negare irreuerentia est.

Hæc mutatio coloris nullam continet nouitatem.

Q

horum copiam faciemus libentissimè iis omnibus, qui hoc quod dico, ad lineam rubram examinare è re suâ autumabunt.

SECTIO SECVNDA.

Quid sequenti ætate circa vestimenti colorem, à Superioribus nostris fuerit constitutum.

AB anno millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, quem numerum præcisè iis quæ mox dicebam statutis adscriptum, non incertâ fide etiam comperies apud Paleonidorum: iam meus deuoluitur stylus, vna cum ætatis reuolutione, ad annum post incarnationem verbi millesimum quadringentesimum quinquagesimum primum, quo tempore interceptis ferè centum annis, & Generalibus Ordinis omninò sex, vniuersa nostræ Religionis cura penes erat B. Ioannem Soreth, quem *celeberrimum sui Ordinis restauratorem & regularis vitæ collapsæ reformatorem* plenâ manu dilaudat, qui supra Paleonidorus tertij libri c. 14. cuius etiam viri doctrinâ & morum integritate præcellentis, vitam sanctissimam Patres nostri in lucem primò emittunt. Is porrò B. Sorethus.

B. Ioannes Soreth ordinis Carmelitarum Generalis.

Virtutis veræ custos, rigidique satelles.

Illud imprimis totis viribus agitauit, vt senio collabens Ordinis disciplina, in antiquo robore

Epist. lib. 2. 1. Claudian.

firmissimis præsidiis stabiliretur. Ergo in hoc constitutiones edidit, quas deinceps in Capitulo Parisiensi anno Domini 1456. mox in Bruxellensi anno 1462. vniuersus ordo melioris vitæ appetens, ambabus vlnis amplexus est. Susceptas luculento diplomate confirmauêre summi Pontifices, in cæteris circa vestimenti cultum ita præscribitur rubricâ 11. cui titulus *de indumentis & calceamentis fratrum; vestimenta fratrum* (inquit rubrica) *lanea sint eiusdem formæ, vt habeant tunicas amplas griseas ad nigredinem tendentes, vel nigras*, &c. Hic verò, quod altero seorsim capite fusiùs, hâc super re te alloquor, obiter obserues velim, & quasi per tranlennam: Religiosam politiam (quod pulchrè ad Ecclesiasticam Diuus retulit Augustinus) *inter multam paleam, multaque zizania constitutam multa tolerare.*

P. Vbalterus de terra noua notat in vita B. Soreth eum praecepisse in statutis pro reformatione, vt omnes qui essent de obseruantia, Griseo tantum colore in vestibus vterentur.

Religio sicut & Ecclesia multa cogitur tolerare.

Epist. 119 cap. 19.

Enimuerò cum aliquanto tempore tenuisset ea simul ac viguisset B. Sorethij reformatio, quia Religionem haud secus quam hominem senescere, *Est via ad corruptionem*, vtque refertur à Seneca, *Inuadit temperatissimos morbus, validissimos phtysis, innocentissimos pæna, securissimos tumultus*, sensim vnà cum ætatis deploratæ corruptelâ in peius inclinabant res nostræ; donec ex imperio Clementis Papæ septimi, congregatum Venetiis Generale Capitulum anno Domini 1524. ingens solidæ reformationis negotium ac sollicitudo, ad Reuerendissimum Patrem M. Nicolaum Audeth, necnon eiusdem Definitores

Lib. 1. Physic. cap. 1.

Religio cum ætate paulatim senio debilitatur.

Capitulum generale Venetense sub R. P. M. Nicolao Audeth.

Capituli omnium calculo delata eſt. Hi vt multâ erant pietate & doctrinâ inſigniti, nullum non mouerunt lapidem vt corruptis moribus in totum abolitis, redirent ſinguli *ad veſtigia Patrum noſtrorum, diuinus cultus antiquâ grauitate, & deuotione celebraretur, animarum ſalus iugiter tractaretur, conſcientiarum ſerenitas procuraretur, virtus excoleretur, ſcientia excitaretur; denique Carmelus noſter ſuo candori reſtitutus, vbique candidus eſſet, & cādidatus appareret.* Verba ſunt Reuerendiſſimi Patris, vniuerſos per literas exhortantis, vt noua quæ collegerat ſtatuta, vellent admitti in omnibus, & à ſingulis curarent quantâ maximâ quiret diligentiâ obſeruari. Quod autem ſpecialiter attinet veſtimenta, illic nihil omnino diuerſum iniungitur, ab his quæ proximis ſæculis ſancita vidimus per P. Petrum Raymundum, & B. Ioannem Sorethium, cuius piæ memoriæ conſtitutiones nouiter correctas, & emendatas ſummoperè iubentur cuſtodiri. Et quidem præſtitutâ nominatim veſtium quantitate, indiſcriminatim coloris ſimilitudo, cum panni vilitate reiecto omni luxu, diſtrictè commendatur vniuerſis. Ita tamen vt eorum veſtes quos totaliter reformatos tunc temporis appellabant, *Cumprimis ſeueriùs ac peculiariùs eſſent compoſita.* Et quoniam ibidem ea tum tempeſtas, *omnis corruptionis plena dicitur; in conuentibus diſpoſitis* (ipſiſſima verba refero) *aliqua permittuntur illis, qui longa conſuetudine, adeò fragilitati humanæ conſenſerant, vt vix, &c.* vbi mitius cum nonnullis actum fuiſſe inſinuat.

Quænam ſint procuranda in reformatione noſtræ Religionis.

Strictior obſeruantia debet etiam in veſtibus eluceſcere.

Conſuetudini aliqua permittenda.

Cæterum vt etiam recentissima memorem, elapsis ab eo annis circiter quinquaginta, alia itidem statuta celebratis Cremonæ solemnibus comitiis anno 1593. 6. Iulii *pro reparandâ vitæ regularis obseruantiâ*, diuulgantur sub auspiciis Reuerendissimi P. M. Ioannis Chizzolæ, qui tunc Prior Generalis Ordinem nostrum fœliciter moderabatur. Sed neque in his, neque in illis anni 1524. vllum verbum ingeritur grisei, nigriue coloris, tantum accurata similitudo sæpè ac sæpiùs iniungitur, præterea planè, nihil. Quamquam hæc mihi non ita dicuntur tanquam nigrum colorem iam tunc inualuisse negare velim, immo non diffiteor; aut quasi per ea tempora vsum illius per fas ac nefas contra Superiorum mandata irrepsisse affirmem, quin & licitum & permissum reuera vltro concedo. Eo namque sensu non statuta modo B. Soreth, sed Romana etiam anni 158. à R. Generali P. Ioanne Baptista Caffardo, communiter explicantur. *Vestimenta fratrum lanea sint, eiusdem formæ, vt habeant tunicas amplas, griseas, nigras, vel saltem ad nigredinem tendentes.* Subtilior tamen doctrina insignis Religiosi è nostris in Aquitaniæ Prouincia, qui me erudiit Ordinis statuta, quæ ab aliquot annis (nam antiquiora Tholosana griseum imperant; omni alio prohibito) nigrum in vestibus colorem permittunt; nunquam loqui de nigro artificiosè tincto: sed tantum duas grisei species proponere, quibus liceat vti indifferenter secundum faciliorem vsum & locorum diuersitatem. Quarum color alter omnino tendit ad nigrũ, vt sit, &

Posset constanter affirmari in nullis omnino statutis nigrum tinctũ permitti, sed tantũ Griseum in duplici specie.

eſt in calidiori ſolo: alter non ita, ſed paululum flaueſcit, ac tandem in berinum ſeu caſtaneum decedit. Hanc porro ſtatutorum eſſe mentem, facilè inquit, colligitur ex ipſomet contextu. Quorſum enim ſequentibus deinde verbis haberetur *nullo modo tinctis*? Hæc namque additio inanis foret ac ſuperflua, ſi ea ſolummodo prohiberet rubrum, viridem, croceum, aut alium eiuſmodi colorem, quis enim ignorat Monachis & Religioſæ vitæ profeſſoribus, eos colores pridem eſſe à Canonico iure interdictos? Ergo omnem prorſus tincturam artificioſam à noſtris veſtibus excludunt ſtatuta, non verò à nigro iam artificialiter tincto alium quemlibet Religioſis indecentem. Pari ſiquidem ſenſu poſſemus vti griſeo purpureo, oſtrino, violaceo, flauo tincto &c. Ij enim colores vniuerſi reuerà tendunt ad nigrum, & vt docet Scaliger ſupra laudatus, ex nigri & albi admixtione confecti, inter ſpecies nigri connumerantur. Sed vt dico, ſermo tantum eſt de nigro natiuo, prout ab animalibus detrahitur; ita tamen vt Carmelitarum veſtes nigricantes ſint pullæ, fuſcæ ſeu fuliginoſæ, vt ſunt PP. Franciſcanorum cineritiæ & paulo magis albicantes, vt docetur in commentariis regulæ ſancti Franciſci.

Verum non obſtante hâc non improbabili doctrinâ, demus, (vt cœpi dicere) concedamus Carmelitas in aliquot prouinciis, nigro etiam artificiosè tincto, non quidem ſemper (vt clarum eſt ex ſtatutis anni 1355. ſed ab aliquo certè tempore legitimè, etiam ſi velis, ex permiſſione conſtitu-

tionum vsos fuisse. At quid inde? nempe quæres vnde hoc factum vt quasi repentino æstu perciti nigrum posuerint, quasi ad griseum transfugæ? Ecquis genius hanc nouitatis cupidinem nostrorum mentibus iniecit; at ego, vnde nam amabo; quando & quomodo insinuauit se niger iste color tinctus grisei præiudicio, cuius solius meminerunt statuta quæ retuli anni 1355. quæ quidem griseum interdicto nigro grauissimè præcipiunt, & ab vniuersis, vt ostendebam, tunc fuere recepta? nihil ad me dices, sed extant B. Sorethij constitutiones quæ disiunctiuo præcepto & nigrum & griseum ex æquo permittunt. Sed repono, si licuit maioribus nostris fortè B. Sorethij Generalis voluntatem, nec non interpretationem sequētibus, nigrum tinctum griseo & nigro minime tincto commiscere; quorsum sapientissimi generalis Reuerendissimi N. P. Sebastiani Fantoni fultis authoritate, nefas erit nobis redire ad pristinum colorem? Num eadem tenet obedientiæ firmitudo? an imminuta superiorum potestas? an nos patribus infœliciores? nosne deteriori loco aut conditione nati?

Vos alloquor beati Manes, beatæ mentes, quæ per ducentos ferè annos Carmelum pietate coluistis, doctrinâ excoluistis: iamque meliori æuo in illa æternitate ingenti mercede laborum fruimini, ac nunquam intermoriturâ. vos antiquissimum Ordinem omni ope atque operâ in splendore suo conseruare studuistis, nos debiliori conatu, sed quidni dicemus pari zelo ardoris? hanc ipsam orbitam terimus, vrgemus: vos Religionem vestra-

rum ornamentis virtutum auxiſtis, decoraſtis, illuſtraſtis; nos veſtris actionum veſtigiis, nobili puluere, non leuiter impreſsis, longo, ſed (ſi cœptis annuat Deus) proximo interuallo inhærere glorioſum ducemus. Veſtræ prolis mentem agnoſcite, & vota: eandem vobiſcum regulam profitemur, non alia virtutum exercitia in amoribus habemus; iiſdem pendemus vitæ noſtræ rectoribus moderatoribuſque, exterior ſi qua eſt diſsimilitudo permodicum. Quid veſtis magni intereſt ad ſanctitatem, ſi ſtemus obedientiâ, & communi eius vinculo obligemur? vobis fortè niger color etiam à tinctura conſuetus per aliquot annos, vt ſæculo ac neceſsitati ſeruiretur, quia forſan à Superioribus, à ſtatutis, demum ab vſu & conſuetudine æui corruptelæ conceſſus: nobis iam vertente æuo griſeus prçoptatur, quia & ab antiquo ſtatuta ingeminant, iubent conſtitutiones, Superiores impellunt, nedum permittunt, vt illis temporibus: nec tantum adhortantur, vt iſtis.

Si Maiores noſtri, Griſeo ſiue nigro non tincto vſi ſunt, hæc recens coloris mutatio eorum imitatio eſt, Sin etiam nigro à tinctura, nequaquam eſt anteceſſorum condemnatio, quandoquidem, iiſdem rationibus quibus fortè niger tinctus illis tūc permittebatur nobis iam Griſeus non tinctus commendatur.

Sed iam ad te redeo, mi Lector, oraturus vt in huius fine capitis duo ſummatim animaduertas, certiſsimâ conſequutione inferenda. Primum eſt toto cælo à veritatis meta exerrare, qui minus à ratione & ab antiquitate informati, perſuaſum habent nullam nobis præſcribi in regula formam veſtimenti: ſed noſtrum habitum ceu vagum ac fluctuantem, totum pendere ab arbitrariis huius illiuſue conſtitutionibus. Hoc enim quid aliud quæſo, eſt quàm nos facere ſimillimos lapidi illi, qui apud Troglodytas *Hexecontalithon* hoc eſt ſexaginta

Errant qui arbitrantur in Carmelitarum regula, nihil præſcribi aut definiri de veſtimentis.

ginta lapidum idcirco appellatur, quia subinde infinitis variat coloribus? Imo lunæ aut Pauoni cuius pluma florido Tertuliani penicillo depingitur lib. de pallio *multicolor & discolor & versicolor, nunquam ipsa semper alia, & si semper ipsa quando alia, toties deniquè mutanda, quoties mouenda.* Longè alia mens quibus nostræ res perspectæ sunt, atque exploratæ. |Etenim cur in eo regulæ cōpendio, quod habemus ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano concinnatum, nulla vestium mentio intercurrat; sapienter respondent antiqui Patres, ijdemque authores luculentissimi consultò id reticeri, quia nimirum hæc Alberti regula tantum additio quædā est, & quasi lucidior explicatio eorum quæ minus clarè & expresse continebantur in regula tradita Caprasio Generali per Ioannem 44. Patriarcham Hierosolymitanum. In qua quidem institutione de vestium materiâ, formâ, quantitate, & colore, griseo seu nigro non tincto fusè & abundè præscribitur, de quibus proinde nihil prorsus in ista Alberti inserendum fuit, vt nos infra latiùs expendemus.

Lapis Hexecontalithon innumeris variat coloribus.

Luna non potest fieri vestis, quia semper mutat.

Elegans Pauonis descriptio ex Tertulliano lib. de pallio circa med.

Regula quam habent Carmelitæ ab Alberto Patriarcha est tantum Epitome seu compendium fusioris, quam habent à Ioanne 44. Patriarcha qui de habitu Carmelitarum accuratè præscripsit cap. 36. 37. 38. & sequentibus quo fere modo breuiores Regulæ sancti Basilij compendium sunt earum quæ vocantur fusius disputatæ.

Ita censent magnâ authoritate viri B. Ioannes Soreth in eâ regulæ enarratione quæ in lucem iam exire permittitur, tota ex antiquis Patrum sententiis deuotè admodum concinnatâ. Pater Hieronymus Gratianus, in opere ab eo iussu Reuerendissimi P. M. Henrici Syluij Hispanico idiomate elucubrato, quod inscribitur, *disciplina Religiosa regulæ spiritum & obseruantiam explicans.* P. Thomas de Iesu, PP. Discalceatorum per Belgium & Germa-

Quoniam in nonnullis articulis erant inter fratres opinionum diuersitates, &

quia in prædicti Joannis libro de ipsorum primaria institutione, non erunt prædicti articuli, nisi in quodam Generali inuoluti: quod cernens dictus Patriarcha Albertus certam scripsit vitæ formulã illa expresse continentem, & illas decem difficultates sibi à Religiosis propositas explicantem, & c. B. Joannes Sorethi Generalis in præfatione exposit. Regulæ sub finem.

niam Vicarius Generalis, qui nostro æuo pari sanctimoniâ & eruditione Carmelũ illustrauit, 1. parte expo reg. & 2. part. dub. 3. primitiuam vocat eam quæ est ab Alberto conscripta, *Nos quia*, inquit, *prima est, sed quia præcipua.* Et vt antiquiores repetam speculũ Carmelit. variis in locis, præsertim lib. 8. cap. 4. cui titulus est, *quod nulla aut pauca Albertus in prædicta regula inserit, quæ Ioannes prius in institutione huius Religionis non scripsit: sed quæ Ioannes in generali suadendo scripserat, Albertus in speciali determinat.* Trithemius lib. 1. de laud. Carmel. Mantuan. in Apolo. & qui instar omnium vnus esse debeat doctissimus Thomas Vvaldensis lib. de Sacram. tit. 9. cap. 89. qui etiam in hoc Armachanum Hyberniæ Archiepiscopum citat, sic docet, *Circa annum 1171. Albertus Patriarc. Hierosol. nouam regulam, seu potius hanc Ioannis planiori breuiorique formâ digestam eis obseruandam tradidit.*

Hinc emergit consequenter alterum quod proposueram, vt in transcursu alter itidem anonymi illius error euincatur. Scilicet nos ita nondum depuduisse ad omne scelus, aut sic mendacia mendaciis agglutinare, vt nescio quo virtutis ostentitio pruritu, regulam citra colorem griseum sanctè obseruari posse inficiemur.

O superi tantam à nobis auertite pestem. Æneid. lib 3.

Ex Hypotesi consuetudinis quam inuexerat sæculi deprauatio regula optimè seruari potest, sine grisco vel

Quinimmo fatemur vniuersi & simul gloriamur præiuisse nobis sexcentos vitæ sanctimoniâ insignes, tam in virili, quàm in fœmineo sexu, qui sacrum professi Ordinem, nigro & albo tantum colore induti vitam sanctam sanctissimâ

morte clauserunt; & absit à nobis tam execrandum facinus, vt ingrata & viperina posteritas genitorum sacro nomini, notam ignominiæ inurere attentemus; vel quidquam gloriosis illorum laboribus detrahentes, palmam doctrinæ & sanctitatis, quam omnium consensu tulere, immani zelo infringamus. Liberè dicam isthæc religiosis, alia omnia cogitantibus imponere, & falli est, & turpiter fallere. Atque vt D. Augustini oraculo *falsitas trahit falsitatem*, inuidiosè recensentur ab extero sæculi cauillatore B. Ioannes Soreth, vnaque B. Franscisca Ambosia, quod geminum par colit ac veneratur Carmeleus Ordo. Quasi verò crimen illis dicatur à nobis, & læsæ regulæ incusentur, cùm tamen certissimè constet nos eorum exemplo & authoritate potissimum niti. Vtrumque enim griseo colore fuisse indutum apertè testantur historiarum monimenta, & nos sub finem diffusè ostendemus. Immo nec suæ famæ vsque adeo ipsi auersantur Carmelitæ: non, inquam, sese adeo infœlices reputant, vt per totos viginti annos quibus nigro vsi sunt colore, vel eos qui etiamnum in aliquot Galliæ locis nobiscum in virtutis stadio decurrunt, adhuc nigro tincto induti, extra regulæ orbitam, in sordido & damnabili errore iacuisse velint videri. Sed quorsum tandem assueti nigro colori griseum asciuerimus, iam pressius declarare necessum est.

non tincto colore iam ex hypotesi reformationis amplectenda & voluntatis superiorum non tam benè pro nostris certè existimarim.

1. Cōtra Crescō. cap. 17.

BB. Joānem Soreth necnon Franciscam Ambosiam nigro atramētario artificiosè tincto indutos fuisse, vel falso cogitant, vel mendaciter scribunt nonnulli.

Ratione vltima de exēplis

SECTIO TERTIA.

Nostra hac ætate griseus color reuera à Carmelitis ex obedientia susceptus.

FABVLA-NE an sincera veritas, liquidò haudquaquam compertum. Certè narrant historici cum aliquando Nilus ille Pliniana phrasi *vagus expanditor amnis, pluuiæ ac fœcunditatis Ægypto parens*: nimiâ aquarum copiâ naturali alueo superessusus, in viciniam plus iusto diluuiasset: & consuetam agris vbertatem abundantiori quem traxit limo eripuisse, & simul præcipiti lapsu suis agros possessoribus diripuisse. Ergo omnes fluminis latrocinio propriis fundis defraudati, ingentibus rixis de agrorum limitibus ac terminis cœperunt altercari. Iamque populari & rustico tumultu bellum adornabant, cùm immortali Deorum beneficio, quorum aris nulla victima gratior accumbit, quàm pacifica, ἄνωθεν *Virga geometrica* de cœlo repentè delapsa, suos vnicuique terminos protinus indicauit, eoque modo antiquâ possessione heris vindicata, Ægyptios discordiis & cædibus eripûit.

Plin. in paneg. Traiani.

Virga cælestis Nili detrimenta reparat.

Factus est in pace locus eius. Psal. 75.

Carol. Pasch. cap. 16. de virtutib. & vit.

Non absimili certè modo atrox bellorum furor, & grassantis vbique terrarum hæresos venenata contagio, superiori sæculo tam funesta vitiorum diluuione in sacra, in profana eruperat; vt cælum terræ miscens, omnia susdeque restarent confusa.

Bellum & hæresis torrentis inundationi comparantur.

Nolo esse vnguis in vlcere, neque hic committam, vt ingratâ tristissimarum rerum memoriâ, obducta ferme cicatrix incauto sermone, aut crudeli calamo recrudescat: satis ad rem erit dixisse, quod dùm cuncti communi naufragio aliquot saltem tabulas eripere certatim allaborant; & nostri pariter Ordinis professores communi studio in sua redire connituntur. Iamque rebus in melius compositis, nihil potiùs, nihil antiquiùs habuere Patres nostri è Turoniæ præsertim & Aquitaniæ Prouinciis; quàm vt antiqua Patrum iura agnoscerent, agnita omnibus viis ac vestigiis inquirerent, quæsita ac reperta tandem sibi vt par erat, vindicarent. Nec inani cessit conatu, Dei causâ & Religionis susceptus labor. Certè enim legitimo temporum spatio (vt nihil simul inchoatum & perfectum) ingentia difficiliorum negotiorum discrimina eluctati, eò restitutum vitæ genus perduxerunt, vt de laboribus exantlatis, non ampliùs pœniteret; & non frustra (si Deus pergeret annuere) meliora speraretur. Quid plura te moror, mi lector?

Primum reformandæ religionis caput est antiqua Patrum instituta repetere.

Iam cunctus pelagi ceciderat fragor.

1. Æneid. cum in Italia, non in Galliis; Romæ, non in Armorica; apud Reuerendissimum Generalem, non Turoniæ Prouinciales; in Capitulo totius Ordinis generali vniuersorum consensu, non in orbis angulo paucorum arbitrio, quis noster vestium & antiquus Patrum color reuera existeret, seriò agitatur. Interim quia, vt ait Aristoteles 5. polit. *Haud facilè neque sine magno motu mutari potest, quod longo*

Vbinam proposita & definita hæc coloris mutatio.

tempore radices egit. Et nostrorum non vltima pars nigro conuestiri dudum asseuerat, vt tota dirimeretur controuersia, Superiorum iudicium & authoritas sic quasi *ἄγαν celestis illa virgula*, intercederet necesse fuit. Ergo loquuntur Religionis Christianæ, non minus quàm Carmelitanæ præsides, rectores, moderatores. Loquitur summus Pontifex Beatissimus Papa Paulus nomine quintus. Loquitur grauissimus P. Generalis fœlicis memoriæ Sebastianus Fantonus. Loquitur generale Capitulum Romæ celebratum anno 1620. Loquitur Christianissimus Rex Ludouicus XIII. eiusque secretum Concilium. Loquūtur equidem ij omnes, sed quid aiunt tandem? Griseum colorem in posterum vniuersis assumendum. Loquuntur, sed quomodo? vt in obscuris oportet ex disciplinâ philosophi, nempe apertis testimoniis, & quibus fidem denegare esset nefas.

Superiorum voluntas Cælestis est virgula suas cuique possessiones iudicans.

Qui & quot Superiores Griseo colori faueant.

In quo præfuit ill. Cardinalis Millim.

2. Ethic

Ordiamur si lubet à suprema sede, sanè extat Pauli quinti summi Pontificis quem gloriosis pro Ecclesia laboribus defunctum, triplex immortalis laurea coronat, extat inquam eius luculentum diploma, quod incipit, *Ad militantis ecclesiæ regimen,* &c. vbi expresè cupere se ait, *vt in domibus & locis regularibus Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo, vetus & regularis disciplina, vbi collapsa est restauretur, & constantius vbi conseruata est, perseueret, sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, ac Apostoli- rum sanctionum decretis inhærentes: hinc est o- nes & singulos eiusdem Ordinis professore- tes, in Domino hortamur, iisdemque* PR

Bulla summi Pontificis.

ET MANDAMVS, *Vt non solum suæ professionis obedientiæ videlicet paupertatis, & castitatis vota, & regulam quam profitentur obseruent, sed eorum salubria instituta & constitutiones*, COMMVNEM VITAM, VICTVM ET VESTITVM, præsertim non negligant. Est adhuc quod attentâ mente eget ponderari, pergit enim Pontifex, *Insuper dilecto filio Sebastiano Fantono, moderno dicti Ordinis Priori Generali, in singulis ipsius dicti Ordinis Prouinciis domos seu loca regularia ad id commoda & opportuna pro reformatione in* COMMVNI VITA, VICTV ET VESTITV, &c. quibus hanc quam iubet *communitatem*, non obstante consuetudine, aut aliis quibuscumque sub grauissimis pœnis denunciat. Id ipsum præcipiens quod ante aliquot annos à supremâ sede postulauerat Capitulum generale Venetis celebratum præsidente Illustrissimo Cardinale protectore S. Carolo Borromæo, cuius capituli expressus est articulus, vt vestium vniformiter in colore ab omnibs vbique Carmelitis imposterùm obseruanda imperetur.

Verba hæc præceptiua & obligātia.

Præceptum cōmunitatem vestitus colorē imprimis respicere satis superque iudicant, & Venetensis Capituli postulatio quæ diu præcesserat, & mox sequens capituli generalis Romæ celebrati decretum, & Reuerendissimi P. Generalis rescripta & epistola.

Nec minus distinctè aut apertè loquitur Reuerendissimus P[illegible]s Fantonus, Beatissimi Papæ man[illegible]ans. Etenim istud munus comm[illegible]alitatis in *vita, victu & vestitu*, in [illegible]ciæ Turoniæ monasteriis vel in[illegible] mouendæ R.P. Philip[illegible] Thi[illegible]ciali committit in hæc [illegible]erba [illegible]sionis authographo fi[illegible]delit[illegible]la est commissionis) *noue*[illegible]*nuisse literas in forma*

breuis, quarum transumptum transmittimus, nobisque authoritate Apostolicâ licentiam & facultatem impartitur, vt in singulis Ordinis nostri Prouinciis, per nos vel per commissarios, à nobis deputatos reformationem in COMMVNI VITA, VICTV ET VESTITV *quantum in domino poterimus introducamus. Ideo eadem Apostolicâ authoritate te præfatum P. M. Thibault Prouincialem nostræ prouinciæ Turoniæ commissarium creamus, & instituimus, vt præfatas literas iuxta sanctissimam mentem in tota hac nostra Turoniæ Prouincia executioni demandes. Præcipientes omnibus nobis inferioribus, vt in iis quæ ad hoc commissarij munus spectant, tibi obediant, sicuti nobis obedire tenentur, dantes etiam tibi authoritatem quoscumque rebelles & contradicentes per pœnas in præfatis literis contentas compescendi, & puniendi, atque hoc modo istorum Illustrissimorum Cardinalium piæ menti satisfacere poteris. Romæ die 15. Ianuarij 1620. P. T. R. Amantissimus in Christo Pater frater Sebastianus Fantonus Generalis Carmelitarum.*

R. P. Philippus Thibaut Commissarius creatur pro ea introducenda vniformitate.

Hinc patet eam vitæ, victus & vestitus communitatem fuisse ex illustrissimorum Cardinalium voluntate.

Enimuero stabat prudentiorum iudicio, & in multis R. P. Turoniæ Prouinciali, vt & Aquitaniæ haudquaquam obscurum erat, numquam vnquam in nostro Ordine perfectam fore vestitus communitatem, donec in vno vestium colore consentirent vniuersi. Sed enim quia ex commissione sibi factâ subodoratur, hanc ab assueto colore demutationem exosam haberi à plerisque: rem totam primo leuiter libatam, prudenti, deinde silentio dissimulandam existimauit, quoadusque liqueret manifestiùs in Capitulo generali proximè

ximè celebrando, & definitiuo iudicio de supremi Pontificis mandato, nostrique Generalis voluntate apertissimè constaret. Exinde frequentibus comitiis, necnon præsidente fœlicibus auspiciis illustrissimo Millino Cardinali, de nostro ordine dum eum solerter protegit ac tuetur perquam benè merito, propositâ, vt moris est, eâ quam superiores imperabant *communitate vestitus*; & quæstione vltro citroque examinatâ, in id omnes concordi voce ac voto conspirauere, vt tota disceptatio colorisque definitio ad Reuerendissimum Patrem Generalem in pectore, quod aiunt, deuolueretur. Qui vna cum Consiliariis re maturè expensâ, eam esse supremi Pontificis mentem bonumque Ordinis totius iudicauerunt, vt grisei communitas coloris, ac similitudo, in omnes omnino prouincias quantâ maximè curâ præstari posset introduceretur. Hoc nimirum esse summi Pontificis præceptum; hanc reuerendissimi Generalis mentem, hanc omnium Ordinis Patrum voluntatem, à quibus quæstio ad definitorium, & Reuerendissimi Superioris arbitrium remissa erat; hanc quoque inferiorum vniuersaliter vtilitatem. Quid ergo restat? quid relinquitur? an non denique,

Definitorium Capituli generalis, quod ex composito omnium assensu eminẽter complectitur, explicat expressè communitatem vestitus *à supremo Pontifice præceptã extẽdi ad vniformitatem coloris: quem idcirco griseum non tinctũ, ab omnibus deinceps et omnib⁹ in prouinciјs assumendum decernunt.*

Æneid. I. *Nobis iussa capessere fas est?*

Certè enim pia mens perennibus votis obedientiæ addicta, Superiorem suum sacram illam Mercurij statuam sibi cogitatione effingit, quæ antiquitùs in viis ac semitis collocari consueuerat, ad viam extento digito monstrandam peregrè proficiscen-

Superiores sunt sacrĩ & calestis oraculi nũtij, ex quibus salutis aterna viam excipere necesse est. Alciat. Embl. 6.

S

tibus; hocque vno verbo ſuas omnes actiones excuſat.

Quà dij vocant eundum.

Vanæ obiectiones diſſolutæ. Ais, hinc multis maximiſque mala patet ampla feneſtra. Hæc ſcandali origo & radix: quàm enim multi etiam cordati viri, qui nullo diſcrimine damnant reiiciuntque omnia, quæ nouitatis ſpeciem aliquam præ ſe ferre exiſtimant, in hanc mutationem accerrimè inuehentur, nam

Euentus varios res noua ſemper habet. Cornel. Gallus.

Sed quod peius inſtat, quam non pauci de literis perbenè meriti (vt annoſas quercus loco dimouere, & aliò transferre laborioſiſsimum eſt) in hanc veſtimenti mutationem concedere non ſuſtinebunt; quot exoletæ tenaces conſuetudinis iſtud *Conſuetudo altera natura.* præceptum iis annumerabunt, de quibus perhibetur in Euangelio, *Durus eſt hic ſermo & quis poteſt eum audire?* Ioan. 6. Adeoque modum excedente medicinâ, ſummo verendum eſt opere, ne ſub hoc prætextu reformationis & anguſtioris vitæ, plus ſit factionis, quàm religionis, plus ruinæ, quàm ædificationis: minus ſanitatis, quàm periculi. Sed audi *Qui ambulat ſimpliciter in via obediẽtia, ambulat confidenter & extra omne erroris periculum.* me, amabo, mi Lector, his omnibus ab humano cerebro ſagaciter, conquiſitis rationibus, breuiter Chriſtiano ſenſu, verbis licet profanis ſatisfecero.

Nil paruum aut humili modo
Nil mortale loquar, dulce periculum eſt Horat. ode 25. lib. 3.
O Lenæe ſequi Deum.

SECTIO QVARTA.

Decretum in generali Capitulo latum de nigro colore in griseum commutando nobis significatur.



OLENT fidium periti, si quando dum musicum pulsant instrumentum, neruus aliquis laxatus symphoniam auribus animisque prius suauiter abblandientem corruperit; non quidem inconsulto impetu, aut temerè violento chordam ad concentum reducere: sed manu lentâ ac prudenti contorto verticulo, sensim per cauam testudinem extendere, eoque artificio fides iterum aptâ modulatione contemperant. Nec similitudine omnino dissimili aiunt medici, referente Beato Hieronymo, grandes morbos non esse curandos, sed dimittendos naturæ, ne medela languorem exasperet, vel certè remedia cautè decet instillare: quo videtur allusisse poëta nescio quis dum cecinit.

Similitudo à Citharædis & Medicis.

Epist. 66.

In omni reformatione, summa opus est mediocritate.

Ouid. 1. de remed.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Senec. cap. 17. de clement.

vt exinde condiscamus, cùm *nullum animal morosius sit, nullum maiori arte tractandum quàm homo, nulli magis parcendum*, mirâ prorsùs & incredibili dexteritate opus, in moribus hominum corrigendis. Id quod venustissimè, & omnino in rem nostram expressisse videtur D Augustinus hoc ipsum quod meditamur, licet in diuersissimâ materiâ, tractans

Qua arte debeat homo mansuefieri.

ex instituto. *Quod erat*, inquit, *tunc dolendum, nunc auferendum est, non asperè, sed sicut scriptum est, in spiritu lenitatis & mansuetudinis*, & lineâ ferme interiectâ *Non ergo asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo quàm iubendo, magis mouendo quàm minando, &c.* Et hoc ipsum ceu certissimam regulam animo proposuit suo Reuerendissimus P. Generalis, dum in cæteris de nigro vestium colore abrogando & griseo subinducendo, ex Generalis consensu capituli satagit.

Antiqui mores leniter non asperè rescindendi.

Epist. 64.

Enimuero quemadmodum nullis non ornamentis virtutum efflorebat, quæ cum illo consenuere, iamque vt fœliciter ominamur beatitudinem pepererunt, ita singulariter eminebat in eo prudentia quæ propriè superioris virtus appellatur ab Aristotele politico. lib. 3. sciebat sapientissimus Generalis & in agendis sagacissimus, *hoc patrium esse potius consuefacere filium suâ sponte rectè facere, quam alieno metu.* Quamobrem vt Pontificis Pauli nomine quinti imperio plenè satisfaceret, primum quidem Griseum colorem voluit vniuersi assumerent, vt mox vidimus, ac rursus non obscurè testatur altera commissio ad R. P. Thibault quem ita alloquitur, *Tibi dicto R. ad. P. Philippo Thibault Prouinciali Turoniæ, & Commissario nostro quoad exequutionem breuis summi Pontificis in dicta Prouincia pro reformatione, mandamus ac præcipimus, in virtute sanctæ obedientiæ, vt quàm primum exequutioni mandes, & obseruari cures, iuxta decretum nostri Capituli generalis, Romæ celebrati tertio Iunij an. 1620.*

Prudentia propria virtus Superioris.

Pater liberos ad virtutem inducit non vi aut terrore, sed lenitate & amore.

Terēt. in Adelph.

Discretio & modestia Reuerendissimi patris Generalis, in præcipienda coloris mutatione.

P. Philippus Thibault mandatum accipit & sine iterata commissione pro inducendo griseo colore.

vt publicari facias decretum de conformatione vestium, & iuxta suum tenorem obseruari, clausulam vero sic adhibet, *omnibus nobis subditis præcipimus, vt tibi pareant in his quæ eius commissionis exequutionem attingent, sicut nobis parere tenentur sub pœnâ Rebellium: in quorum fidem datum Romæ die 3. Iulij anno 1620.*

Fr. Seb. Fant. Generalis Car.

Hic apertè & expressis verbis imperatur Decretum pro griseo colore publicari.

Hic verò vsque adeo apertè mentem explicat Reuerendissimus Generalis, vt iure nemo ambigere queat, aut inficiari, quin illi maximè cordi fuerit hæc coloris in griseum nigri demutatio. Nam vtrobique: *Præcipimus*, inquit, *in virtute sanctæ obedientiæ, iniungimus.* Quamquam quia prudentissimus Pater nonnihil turbarum cieri ab iis, qui quod semel imbiberunt adeò non possunt deponere, vt nouum omne iugum vsquè recusent: & antiqua consuetudine ac possessione firmata, sine ægritudine animi non debere deseri persuasum habent, aut in aliud cõmutari; voluit quod monet Clem. Alex. *Plena persuasionis sua esse præcepta, non timoris*; satis vtique gnarus, quod *violenta nemo imperia continuit diu.* Ergo eâ mente exit ab eo decreti resolutio hoc tenore *Fr. Seb. Fant. M. ac hum. Pr. Gen. Ord. Carm. Cum in definitorio nostri Capituli Generalis celebrati, anno 1620. die 3. Iulij in festo Pentecostes Romæ in Conuentu Transpontinæ, propositum fuerit decentissimum fore, si religiosi nostri in colore vestium omnes conuenirent, & quia maior pars griseo colore vtitur, qui & Patrum nostrorum antiquus putatur; ideo RR. Prouinciales Galliarum monemus & in Domino hortamur, vt suauiter disponant religiosos*

1. Pædag. cap. 3.

Senec. Troad. act. 1.

Nullum violentum durabile.

Cur reuerendissimus Generalis ad griseum absolutè noluerit renuentes cogere.

Rationes affert reuerēdissimus Generalis ob quas griseus color decretus fuerit vniuersis.

SECTIO TERTIA.

Nostra hac ætate griseus color reuera à Carmelitis ex obedientia susceptus.

FABVLA-NE an sincera veritas, liquidò haudquaquam compertum. Certè narrant historici cum aliquando Nilus ille Pli- niana phrasi *vagus expanditor amnis, pluuiæ ac fæcunditatis Ægypto parens*: nimiâ aquarum copiâ naturali alueo superessusus, in viciniam plus iusto diluuiasset: & consuetam agris vbertatem abundantiori quem traxit limo eripuisse, & simul præcipiti lapsu suis agros possessoribus diripuisse. Ergo omnes fluminis latrocinio propriis fundis defraudati, ingentibus rixis de agrorum limitibus ac terminis cœperunt altercari. Iamque populari & rustico tumultu bellum adornabant, cùm immortali Deorum beneficio, quorum aris nulla victima gratior accumbit, quàm pacifica, ἄκαινα *Virga geometrica* de cœlo repentè delapsa, suos vnicuique terminos protinus indicauit, eoque modo antiquâ possessione heris vindicata, Ægyptios discordiis & cædibus eripûit.

Plin. in paneg. Trajani.

Virga cælestis Nili detrimenta reparat.

Factus est in pace locus eius. Psal. 75.

Carol. Pasch. cap. 16. de virtutib. & vit.

Non absimili certè modo atrox bellorum furor, & grassantis vbique terrarum hæresos venenata contagio, superiori sæculo tam funesta vitiorum diluuione in sacra, in profana eruperat; vt cælum terræ miscens, omnia susdeque restarent confusa.

Bellum & hæresis torrentis inundationi comparantur.

Nolo eſſe vnguis in vlcere, neque hic committam, vt ingratâ triſtiſſimarum rerum memoriâ, obducta ferme cicatrix incauto ſermone, aut crudeli calamo recrudeſcat: ſatis ad rem erit dixiſſe, quod dùm cuncti communi naufragio aliquot ſaltem tabulas eripere certatim allaborant; & noſtri pariter Ordinis profeſſores communi ſtudio in ſua redire conniţuntur. Iamque rebus in melius compoſitis, nihil potiùs, nihil antiquiùs habuere Patres noſtri è Turoniæ præſertim & Aquitaniæ Prouinciis; quàm vt antiqua Patrum iura agnoſcerent, agnita omnibus viis ac veſtigiis inquirerent, quæſita ac reperta tandem ſibi vt par erat vindicarent. Nec inani ceſſit conatu, Dei causâ & Religionis ſuſceptus labor. Certè enim legitimo temporum ſpatio (vt nihil ſimul inchoatum & perfectum) ingentia difficiliorum negotiorum diſcrimina eluctati, eò reſtitutum vitæ genus perduxerunt, vt de laboribus exantlatis, non ampliùs pœniteret; & non fruſtra (ſi Deus pergeret annuere) meliora ſperaretur. Quid plura te moror, mi lector?

Primum reformandæ religionis caput eſt antiqua Patrum inſtituta repetere.

Iam cunctus pelagi ceciderat fragor. 1. Æneid.

cum in Italia, non in Galliis; Romæ, non in Armorica; apud Reuerendiſſimum Generalem, non Turoniæ Prouinciales; in Capitulo totius Ordinis generali vniuerſorum conſenſu, non in orbis angulo paucorum arbitrio, quis noſter veſtium & antiquus Patrum color reuera exiſteret, seriò agitatur. Interim quia, vt ait Ariſtoteles 5. polit. *Haud facilè neque ſine magno motu mutari poteſt, quod longo*

Vbinam propoſita & definita hæc colorum mutatio.

tempore radices egit. Et nostrorum non vltima pars nigro conuestiri dudum asseuerat, vt tota dirimeretur controuersia, Superiorum iudicium & authoritas sic quasi *ἄχραια cælestis illa virgula*, intercederet necesse fuit. Ergo loquuntur Religionis Christianæ, non minus quàm Carmelitanæ præsides, rectores, moderatores. Loquitur summus Pontifex Beatissimus Papa Paulus nomine quintus. Loquitur grauissimus P. Generalis fœlicis memoriæ Sebastianus Fantonus. Loquitur generale Capitulum Romæ celebratum anno 1620. Loquitur Christianissimus Rex Ludouicus XIII. eiusque secretum Concilium. Loquũtur equidem ij omnes, sed quid aiunt tandem? Griseum colorem in posterum vniuersis assumendum. Loquuntur, sed quomodo? vt in obscuris oportet ex disciplinâ philosophi, nempe apertis testimoniis, & quibus fidem denegare esset nefas.

Superiorum voluntas Cælestis est virgula suas cuique possessiones iudicans.

Qui & quot Superiores Griseo colori faueant.

In quo præfuit ill. Cardinalis Millim.

1. Ethic

Ordiamur si lubet à suprema sede, sanè extat Pauli quinti summi Pontificis quem gloriosis pro Ecclesia laboribus defunctum, triplex immortalis laurea coronat, extat inquam eius luculentum diploma, quod incipit, *Ad militantis ecclesiæ regimen,* &c. vbi expresse cupere se ait, *vt in domibus & locis regularibus Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo, vetus & regularis disciplina, vbi collapsa est restauretur, & constantius vbi conseruata est, perseueret, sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, ac Apostolicarum sanctionum decretis inhærentes: hinc est quod omnes & singulos eiusdem Ordinis professores per præsentes, in Domino hortamur, iisdemque* PRÆCIPIMVS

Bulla summi Pontificis.

ET MANDAMVS, *vt non solum suæ professionis obedientiæ videlicet paupertatis, & castitatis vota, & regulam quam profitentur obseruent, sed eorum salubria instituta & constitutiones*, COMMVNEM VITAM, VICTVM ET VESTITVM, præsertim non negligant. Est adhuc quod attentâ mente eget ponderari, pergit enim Pontifex, *Insuper dilecto filio Sebastiano Fantono, moderno dicti Ordinis Priori Generali, in singulis ipsius dicti Ordinis Prouincijs domos seu loca regularia ad id commoda & opportuna pro reformatione in* COMMVNI VITA, VICTV ET VESTITV, &c. quibus hanc quam iubet *communitatem*, non obstante consuetudine, aut aliis quibuscumque sub grauissimis pœnis denunciat. Id ipsum præcipiens quod ante aliquot annos à supremâ sede postulauerat Capitulum generale Venetis celebratum præsidente Illustrissimo Cardinale protectore S. Carolo Borromæo, cuius capituli expressus est articulus, vt vestium vniformiter in colore ab omnibs vbique Carmelitis imposterum obseruanda imperetur.

Verba hæc præceptiua & obligatiua.

Præceptam communitatem vestitus colore imprimis respicere satis superque iudicant, & Venetensis Capituli postulatio quæ diu præcesserat, & mox sequens capituli generalis Romæ celebrati decretum, & Reuerendissimi P. Generalis rescripta & epistolæ.

Nec minus distinctè aut apertè loquitur Reuerendissimus P. Sebastianus Fantonus, Beatissimi Papæ mandatis obtemperans. Etenim istud munus communitatis, seu æqualitatis in *vita, victu & vestitu*, in omnibus prouinciæ Turoniæ monasteriis vel instituendæ, vel promouendæ R.P. Philippo Thibault tùm Prouinciali committit in hæc verba, quæ ex ipso commissionis authographo fideliter reddo. *Cæterum* (clausula est commissionis) *noueris à sanctissimo D. N. obtinuisse literas in forma*

breuis, quarum transumptum transmittimus, nobisque authoritate Apostolicâ licentiam & facultatem impartitur, vt in singulis Ordinis nostri Prouinciis, per nos vel per commissarios, à nobis deputatos reformationem in COMMVNI VITA, VICTV ET VESTITV *quantum in domino poterimus introducamus. Ideo eadem Apostolicâ authoritate te præfatum P. M. Thibault Prouincialem nostræ prouinciæ Turoniæ commissarium creamus, & instituimus, vt præfatas literas iuxta sanctissimam mentem in tota hac nostra Turoniæ Prouincia executioni demandes. Præcipientes omnibus nobis inferioribus, vt in iis quæ ad hoc commissarij munus spectant, tibi obediant, sicuti nobis obedire tenentur, dantes etiam tibi authoritatem quoscumque rebelles & contradicentes per pœnas in præfatis literis contentas compescendi, & puniendi, atque hoc modo istorum Illustrissimorum Cardinalium piæ menti satisfacere poteris. Romæ die 15. Ianuarij 1620. P. T. R. Amantissimus in Christo Pater frater Sebastianus Fantonus Generalis Carmelitarum.*

R. P. Philippus Thibaut Commissarius creatur pro ea introducenda vniformitate.

Hinc patet eam vitæ, victus & vestitus communitatem fuisse ex illustrissimorum Cardinalium voluntate.

Enimuero stabat prudentiorum iudicio, & in multis R. P. Turoniæ Prouinciali, vt & Aquitaniæ haudquaquam obscurum erat, numquam vnquam in nostro Ordine perfectam fore vestitus communitatem, donec in vno vestium colore consentirent vniuersi. Sed enim quia ex commissione sibi factâ subodoratur, hanc ab assueto colore demutationem exosam haberi à plerisque: rem totam primo leuiter libatam, prudenti, deinde silentio dissimulandam existimauit, quoadusque liqueret manifestiùs in Capitulo generali proximè

ximè celebrando, & definitiuo iudicio de ſupremi Pontificis mandato, noſtrique Generalis voluntate apertiſsimè conſtaret. Exinde frequentibus comitiis, necnon præſidente fœlicibus auſpiciis illuſtriſsimo Millino Cardinali, de noſtro ordine dum eum ſolerter protegit ac tuetur perquam benè merito, propoſitâ, vt moris eſt, eâ quam ſuperiores imperabant *communitate veſtitus*; & quæſtione vltro citroque examinatâ, in id omnes concordi voce ac voto conſpirauere, vt tota diſceptatio colorisque definitio ad Reuerendiſsimum Patrem Generalem in pectore, quod aiunt, deuolueretur. Qui vna cum Conſiliariis re maturè expensâ, eam eſſe ſupremi Pontificis mentem bonumque Ordinis totius iudicauerunt, vt griſei communitas coloris, ac ſimilitudo, in omnes omnino prouincias quantâ maximè curâ præſtari poſſet introduceretur. Hoc nimirum eſſe ſummi Pontificis præceptum; hanc reuerendiſsimi Generalis mentem, hanc omnium Ordinis Patrum voluntatem, à quibus quæſtio ad definitorium, & Reuerendiſsimi Superioris arbitrium remiſſa erat; hanc quoque inferiorum vniuerſaliter vtilitatem. Quid ergo reſtat? quid relinquitur? an non denique,

Definitorium Capituli generalis, quod ex composito omnium aſſenſu eminẽter complectitur, explicat expreſsè communitatem veſtitus *à ſupremo Pontifice præceptã extẽdi ad vniformitatem coloris: quem idcirco griſeum non tinctũ, ab omnibus deinceps et omnib⁹ in prouincijs aſſumendum decernunt.*

Æneid. I. *Nobis iuſſa capeſſere fas eſt?*

Certè enim pia mens perennibus votis obedientiæ addicta, Superiorem ſuum ſacram illam Mercurij ſtatuam ſibi cogitatione effingit, quæ antiquitùs in viis ac ſemitis collocari conſueuerat, ad viam extento digito monſtrandam peregrè proficiſcen-

Superiores ſunt ſacri & cæleſtis oraculi nũtij, ex quibus ſalutis æternæ viam excipere neceſſe eſt. Alciat. Embl. 6.

tibus; hocque vno verbo suas omnes actiones excusat.

Quà dij vocant eundum.

Vanæ obiectiones dissolutæ. Ais, hinc multis maximisque mala patet ampla fenestra. Hæc scandali origo & radix: quàm enim multi etiam cordati viri, qui nullo discrimine damnant reiiciuntque omnia, quæ nouitatis speciem aliquam præ se ferre existimant, in hanc mutationem accerrimè inuehentur, nam

Euentus varios res noua semper habet. Cornel. Gallus.

Sed quod peius instat, quam non pauci de literis perbenè meriti (vt annosas quercus loco dimouere, & aliò transferre laboriosissimum est) in hanc vestimenti mutationem concedere non sustinebunt; quot exoletæ tenaces consuetudinis istud *Consuetudo altera natura.* præceptum iis annumerabunt, de quibus perhibetur in Euangelio, *Durus est hic sermo & quis potest eum audire?* Ioan. 6. Adeoque modum excedente medicinâ, summo verendum est opere, ne sub hoc prætextu reformationis & angustioris vitæ, plus sit factionis, quàm religionis, plus ruinæ, quàm ædificationis: minus sanitatis, quàm periculi. Sed audi me, amabo, mi Lector, his omnibus ab humano cerebro sagaciter, conquisitis rationibus, breuiter Christiano sensu, verbis licet profanis satisfecero.

Qui ambulat simpliciter in via obedientia, ambulat confidenter & extra omne erroris periculum.

Nil paruum aut humili modo
Nil mortale loquar, dulce periculum est
O Lenæe sequi Deum. Horat. ode 25. lib. 3.

SECTIO QVARTA.

Decretum in generali Capitulo latum de nigro colore in griseum commutando nobis significatur.

OLENT fidium periti, si quando dum musicum pulsant instrumentum, neruus aliquis laxatus symphoniam auribus animisque prius suauiter abblandientem corruperit; non quidem inconsulto impetu, aut temerè violento chordam ad concentum reducere: sed manu lentâ ac prudenti contorto verticulo, sensim per cauam testudinem extendere, eoque artificio fides iterum aptâ modulatione contemperant. Nec similitudine omnino dissimili aiunt medici, referente Beato Hieronymo, grandes morbos non esse curandos, sed dimittendos naturæ, ne medela languorem exasperet, vel certè remedia cautè decet instillare: quo videtur allusisse poëta nescio quis dum cecinit.

Similitudo à Citharœdis & Medicis.

Epist. 66.

In omni reformatione, summa opus est mediocritate.

Ouid. 1. de remed.

> *Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,*
> *Et data non apto tempore vina nocent.*

Senec. cap. 17. de clement.

vt exinde condiscamus, cùm *nullum animal morosius sit, nullum maiori arte tractandum quàm homo, nulli magis parcendum*, mirâ prorsùs & incredibili dexteritate opus, in moribus hominum corrigendis. Id quod venustissimè, & omnino in rem nostram expressisse videtur D Augustinus hoc ipsum quod meditamur, licet in diuersissimâ materiâ, tractans

Qua arte debeat homo mansuefieri.

ex instituto. *Quod erat,* inquit, *tunc dolendum, nunc auferendum est, non asperè, sed sicut scriptum est, in spiritu lenitatis & mansuetudinis,* & lineâ ferme interiectâ *Non ergo asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo quàm iubendo, magis mouendo quàm minando, &c.* Et hoc ipsum ceu certissimam regulam animo proposuit suo Reuerendissimus P. Generalis, dum in cæteris de nigro vestium colore abrogando & griseo subinducendo, ex Generalis consensu capituli satagit.

Antiqui mores leniter non asperè rescindendi.

Epist. 64.

Enimuero quemadmodum nullis non ornamentis virtutum efflorebat, quæ cum illo consenuere, iamque vt fœliciter ominamur beatitudinem pepererunt, ita singulariter eminebat in eo prudentia quæ propriè superioris virtus appellatur ab Aristotele politico. lib. 3. sciebat sapientissimus Generalis & in agendis sagacissimus, *hoc patrium esse potius consuefacere filium suâ sponte recte facere, quam alieno metu.* Quamobrem vt Pontificis Pauli nomine quinti imperio plenè satisfaceret, primum quidem Griseum colorem voluit vniuersi assumerent, vt mox vidimus, ac rursus non obscurè testatur altera commissio ad R. P. Thibault quem ita alloquitur, *Tibi dicto R. ad. P. Philippo Thibault Prouinciali Turoniæ, & Commissario nostro quoad exequutionem breuis summi Pontificis in dicta Prouincia pro reformatione, mandamus ac præcipimus, in virtute sanctæ obedientiæ, vt quàm primum exequutioni mandes, & obseruari cures, iuxta decretum nostri Capituli generalis, Romæ celebrati tertio Iunij an. 1620.*

Prudentia propria virtus Superioris.

Pater liberos ad virtutem inducit non vi aut terrore, sed lenitate & amore.

Teret. in Adelph.

Discretio & modestia Reuerendissimi patris Generalis, in præcipienda coloris mutatione.

P. Philippus Thibault mandatum accipit & sine iterata commissione pro inducendo griseo colore.

vt publicari facias decretum de conformatione vestium, & iuxta suum tenorem obseruari, clausulam vero sic adhibet, *omnibus nobis subditis præcipimus, vt tibi pareant in his quæ eius commissionis exequutionem attingent, sicut nobis parere tenentur sub pœnâ Rebellium: in quorum fidem datum Romæ die 3. Iulij anno 1620.* *Hic apertè & expressis verbis imperatur Decretum pro griseo colore publicari.*

Fr. Seb. Fant. Generalis Car.

Hic verò vsque adeo apertè mentem explicat Reuerendissimus Generalis, vt iure nemo ambigere queat, aut inficiari, quin illi maximè cordi fuerit hæc coloris in griseum nigri demutatio. Nam vtrobique: *Præcipimus*, inquit, *in virtute sanctæ obedientiæ, iniungimus.* Quamquam quia prudentissimus Pater nonnihil turbarum cieri ab iis, qui quod semel imbiberunt adeò non possunt deponere, vt nouum omne iugum vsquè recusent: & antiqua consuetudine ac possessione firmata, sine ægritudine animi non debere deseri persuasum habent, aut in aliud cômutari; voluit quod monet Clem. Alex. *Plena persuasionis sua esse præcepta, non timoris*; satis vtique gnarus, quod *violenta nemo imperia continuit diu.* Ergo eâ mente exit ab eo decreti resolutio hoc tenore *Fr. Seb. Fant. M. ac hum. Pr. Gen. Ord. Carm. Cum in definitorio nostri Capituli Generalis celebrati, anno 1620. die 3. Iulij in festo Pentecostes Romæ in Conuentu Transpontinæ, propositum fuerit decentissimum fore, si religiosi nostri in colore vestium omnes conuenirent, & quia maior pars griseo colore vtitur, qui & Patrum nostrorum antiquus putatur; ideo R R. Prouinciales Galliarum monemus & in Domino hortamur, vt suauiter disponant religiosos*

1. Pædag. cap. 3.

Senec. Troad. act. 1.

Nullum violentum durabile.

Cur reuerendissimus Generalis ad griseum absolutè noluerit renuentes cogere.

Rationes affert reuerêdissimus Generalis ob quas griseus color decretus fuerit vniuersis.

vbi commodè fieri poterit, vt griseum colorem in tunicis assumant; qui etiam nobis cum Discalceatis nostris est communis; iis autem qui talem colorem relicto colore nigro assumpserint meritum sanctæ obedientiæ impartimur, in quorum fidem præsentes sigillo nostro, nec non manuali chirographo muniuimus, Datum Romæ die 3. Iulij 1620.

Griseum colorem relicto nigro assumentibus, obedientiæ meritum proponit.

O candidam hominis mentem! ô mitissimum virum! qui verè *Patrem mente induit.*

Lenitas commendatur.

Lene fluit Nilus sed cunctis amnibus extat
Vtilior.

Claudian. in Paneg. Manl.

Videlicet amat lenire patientiâ, quos continuato licet iustissimo imperio, poterat grauiùs irritare, *vt nihil tam facile est, quod inuitis non fiat difficile.* Et verò si seruis imperare moderatè laus est ex Senecæ sententiâ, quanto potiori iure Religiosis? nam nec *Religionis est cogere religionem quæ sponte suscipi debet non vi, cùm & hostiæ ab animo libenti expostulentur.* Infit Tertul. atque vt Astronomis Iouis planeta omnium benignissimus, lentum habet cursum: ita superiorem, *extrema primo tentare loco non decet.* Sed dicam, ô Religiose, *indigna te sunt spolia, si tantum refers quantum imperatum est.* Murmurante per nubium condensa tonitru, quidquam olim à principe decerni nefas est: & *Iouem non sine consilio fulmen mittere*, vetus parœmia, fateor; sed *nec vera virtus cum semel excidit procurat reponi deterioribus.* Velles fortè secundùm imperia etiam minas intentari, pœnas infligi, inferri supplicia, apage! *Nunquid aliquis sanus ad primam offensam filium exhæredat?* Generalis superior caput est, at *nullus ve-*

Omne coactum difficile.

Religio non cogit.

Superioris clementia quanta esse debet.

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis.

Perfectus obediens, prælati mandata præuertit.

Terent. in Heaut.

Senec. de Clement. lib. 1. cap. 18. & sequétib.

Lib. ad scapul.

Senec. in Agamen. act. 2.

Horat. lib 3. ode 5.

Senec. de Clement. cap. 14.

nam incidit in corpore proprio : Pater eſt, atqui *tardè ſibi Pater membra ſua abſcindit, etiam ſi abſciderit reponere cupit, & in abſcindendo gemit.* Medicus eſt. *Superior caput eſt, Pater, Medicus.*

Tot. lib. de cõſtantia. *Morbis medetur nec iraſcitur: & antequam ferrum tentet & ignem, molli curatione & remediis fallentibus ſalutem explorat. Hic enim morbus animi mollem medicinam deſiderat, ipſumque medentem minimè infeſtum ægro.* Superiores, inquit idem Seneca, *Molliter & blandè, vt ferè domeſtici & familiares medici, ægrotis corporibus non quà optimum & celerrimum eſt medentur, ſed quà licet.* Immo etiam alter Seneca. *Celerior medicina nõ ſemper melior.*

Vbi turpis eſt medicina ſanari piget.

Si iubet inſtar ſuperioris, cur iubentis faſtidimus imperia, *Non enim beneficium eſt, ſed officium facere quod debes.* Sin poſtmodum blandis dumtaxat exhortationibus allicit ad obtemperandum. *Siue iubeat ſiue tantum ſuadeat Prælatus ſemper illi obtemperandum.*

Senec. in Aedip. act. 3.

---Tu cede potentis amici
Lenibus imperiis.

At inquit anonymus, bonum quidem apparens, ſed quod grauiora mala poſt ſe trahat, nempe ſimultates animorum, diuiſionem &c. O *fallax iſtud bonum*, inquam ego, *quantum malorum fronte quàm blandâ tegis*! Sapiebat profectò quiſquis pulchrè in ſimili caſu edicit.

Sunt delicta tamen quibus ignouiſſe velimus,
Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbrâ.

Audio iterum; parum refert obiicies de prioribus, poſtrema ſi ſtent vt δεύτεραι φροντίδες causâ cecidiſtis vos, illi obtinuerunt. Nam ita griſeum ſuadet colorem, vt nigrum permittat; ergo non peccant ij qui griſeum minimè probãt, & antiquitatis amo-

re in nigro perseuerant Deus meliora! nunquam vnquam habui persuasum, immo & nigrum in vestibus colorem etiamnum tutâ conscientiâ posse retineri piè credo, & absit vt retinentibus vel leuissimam noxæ maculam aspergam: sed æquis, si placet, lancibus rem ponderemus. Si nostris liceret permittente dumtaxat Superiore, nigro conuestiri: cur non licebit eodem suadente, mouente, exhortante, & commutantibus *meritum obedientiæ* promittente, ad griseum se conferre? Quorsum hæc iniquior erit conditio quàm illa? quotus quisque ignorat sacras persæpè violari leges obedientiæ, non modo dum peruicaces repugnamus, verùm etiam dum specioso quocumque tandem prætextu adimplere omittimus? *Dominum dereliquerunt in non custodiendo*, inquit Propheta. Osee 4.

Nigro iam tincto colore conuestiri non est malum, sed Griseum assumere optimum.

Efficax argumentum à pari.

Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.

Immo verò vt nihil te celem, mi Lector, placet enim vt vestis, ita mentis candor ac sermonis simplicitas. Non defuere benemulti in hac ipsa Turoniæ Prouincia insigni pietate & doctrinâ viri, quibus primâ fronte hæc nigri in griseum coloris demutatio perdificilis visa est. Sed vt collegerunt se, vt suiipsius & vitæ quàm profitentur meminerunt, 1. Rhetoric. illicò cogitare *Multa quæ non sunt naturaliter delectabilia, cùm assuefacta fuerunt, delectabilia futura.* Falsus sum, digna quidem peripatetico Aristotele hæc sententia, sed religioso homine indigna. Ergo vident quantum intersit rei Carmelitanæ ea *vitæ, victusque ac vestitus conformitas*, ideóque lætis animis amplexantur. 8. Topicor. Cùm *prauus socius censeatur* vel Aristoteli, *qui impedit commune opus*. Cogitant griseum

Hæc coloris mutatio & si primo impetu difficilis, ratione tamen & vsu facilis reddi debet.

Commune bonum non debet à priuatis retardari.

ſcum colorem iuberi à ſuperioribus, nec mora, *ſine* Surius in vita S. Fulgentij. *diſcuſsione, ſine examine* (quod iubet Caſsianus) cæco in obedientiam impetu feſtinant; nam & D. ipſe Fulgentius, *illos tantum veros Monachos eſſe dicebat, qui mortificatis voluntatibus ſuis parati eſſent nihil velle nihil nolle, ſed Abbatis tantummodo conſilia vel præcepta ſeruare.* *Perfectus obediens, perfectus eſt Monachus.*

Vrgebis ſapientiſsimum generalem, & in rebus agendis ſagaciſsimum exhortari, non imperare, monere, ſuadere, non iubere aut præcipere. Donarim ita eſſe, vt reuerâ minimè eſt ex omni parte, quando Capituli Decretum, *Mandat ac præcipit iuxta ſuum tenorem obſeruari*: quando ſaltem *Meritum obedientiæ* impertitur. At Diuo Bernardo is ſolus verè obediens reputatur, qui *præripit præcipientẽ.* Nec abludit Albertus ille cognomento magnus, *Verus obediens nunquam præceptum expectat, ſed ſolam voluntatem prælati ſciens vel credens, feruenter exequitur, pro præcepto.* Addo & finio, *Quandocumque ſignum inſonuerit, mox cum ſumma feſtinatione ſurgendum eſt, ac ſi præco regis inſonet.* *Conſilia ſuperioris non minus quam præcepta, ſeruare debet religioſus.* Lib. 5. de virtut. c. 3. *Quis ſit verus obediens.* *Voluntas ſuperioris etiam ſine præcepto expreſſo Religioſo præceptum eſt.*

SECTIO QVINTA.

Qua prudentia & discretionis morâ Carmelitæ in Gallia Capituli Generalis decreto, nec non voluntati Superioris obsequentes, in hâc mutationem concesserint.

HOc nempe vnum est, in quo si vsquam alias quod attinet huius transactionem negotij, à nostris peccatum esse non pudet fateri. Et quidem nescio sanioribus obedientiæ peritis, ac præcipuè iubenti R. Generali, quâ tandem ratione nostram excusemus in obediendo tarditatem. Eam enim quam vouemus virtutem ita definitam video à sanctissimis Patribus, vt nullam moram sustineat, nullã ferat cunctationem, *obedientia,* inquit S. Ioa. Climac. *est inexanimatus, atq; indiscussus motus, vita curiositate carens, discretionis depositio*. Et D. quidem Bernard. postquàm in Serm. de Conuers. S. Pauli eam descripsit virtutem, *vt velociter currat sermo Dei, & velocem habere desideret sequentem*: Ad Religiosos deinde scribens, omnem humanæ discretionis procrastinationem abigit ab obedientia; *Quæ si perfecta est*, inquit, *& indiscreta esse debet; hoc est non discernere quid vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, vt fideliter & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur. Hæc omnis sit eius discretio, vt in hoc nulla sit discretio: & hæc omnis eius sapientia sit, vt in hac parte nulla ei sit: discernere Superioris est, & subditorum obedire*. Nam vt ipse etiam insinuat D. Gregorius,

Perfecta obedientia conditiones ac lineamenta.

Gradu. 4.

Curiositate caret. & discretione.

Velociter currit.

Epist. ad fratres de monte Dei.

Fidelis est & humilis.

Superioris est discernere, inferioris obedire.

c. 2. in 1. in Reg.

nescit iudicare quisquis didicit obedire.

Nec opinor recusabunt Religiosi Patres, à quibus prima obedientiæ huius rudimenta glorior excepisse, hanc morosæ culpam discretionis in se quodammodo recipere; quando *& bonarum esse mentium* affirmat D. Gregorius, *ibi culpam agnoscere, vbi non est culpa.* Neque verò vllo pacto erubescendum illud scelus. Nam & *bona* etiam, inquit Lact. *fines suos habent, quos si excesseris, in vitia labuntur.* Et non inscitè è prophanis non-nemo.

Mediocritas vbique seruanda.

Lib. 6. de vero cultu. cap. 14.

Horat. sat. 1.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citràque nequit consistere virtus.

Omnibus nimirum (si cum Diuo Bernardo vbi supra, nouitios incipientes excipias) aurea illa mediocritas debet esse commendatissima: maximè cùm Superiores intermedij ita supremorum iussa debent exequutioni demandare, vt non acerbè aut præcipitanter inferiores trahantur, quod dementiæ est; sed spontè sequantur, quod in obsequentibus simplicitatis est, in iubentibus prudentiæ; præclarè siquidem dictum est ab antiquis, quod

Discretio laudanda est in superioribus.

Vis consilij expers mole ruit sua.

Temeritas periculosissima.

Horat. lib. 3. ode 4.

Atque ea propter tametsi Patres nostri Superiorum voluntati in vestium demutatione non cunctanter obsecundare festinarent, huius tamen exequutionem præcepti, non quotidianâ discretione ac prudentiâ procurandam putauere. Nam vti in Medicorum aphorismis lac melle conditum, suauiter & purgat simul & nutrit; haud secus præceptum Superioris idoneum religiosæ mentis alimentum, oprtunam quoque

Cur Carmelitæ in Gallia non statim, sed cunctanter & cum discretione decreto Generali obtemperarint in vestium mutatione.

purgationem existimarunt, si modo discretionis suauitudine contemperaretur.

Et hoc etiam vidit R.P. Philippus Thibault, qui per ea tempora Turoniæ Prouincialis, insuper grisei coloris inducendi speciali commissione, quam supra retulimus, curam à R.P. accepit. Is ergo cuius ego nomine non immerito dixerim, *nec cito desisto, nec temere incipio*. Primum quidem visitans ex officio omnes huius Prouinciæ Cōuentus, singulis factum à supremo Pontifice, abs R. Generali, de vestium vniformitate præceptum, palam aperuit & apertè proposuit vniuersis. A tenim *sacra & Deos instituere, facile non est*, aiebat Plato. Hinc pro munere non inuitus exequutionem sustinet, ratus vtiquè *quod ratio nequiuit, sæpe sanari morâ*. Quamobrem relatione factâ ad proximũ Ordinis Capitulũ quod generale imminebat; id tandem retulit vnanimi consensu vniuersorum, vt nostri omnes ad eam vestimenti mutationem omni arte inducerentur, & griseum præ nigro colore deinceps assumētibus, sacrum obedientiæ meritum impartiretur.

Quibus vijs & quāta prudentia Prouinciales Griseum in Gallia induxerint.

Omnis reformatio difficillima est.

Seneca in Agam. act. 3.

Mora prodest interdum.

Nec putes hæc in mei officina ingenij, ad arbitriũ impunè conficta. Redi si lubet ad sectionem quæ immediatè hanc præcedit, vbi R. Patris epistolam transcripsi, ad hunc ipsum quem aio R.P. Prouincialem, id quod dixi disertè expressisque verbis, nec subornatâ fide perspicius continentem, *Mandamus & præcipimus in meritum sanctæ obedientiæ, vt publicari facias decretum de conformatione vestium, & iuxta suum tenorem obseruari, &c. Datum Romæ die 3. Iulij anno 1620.*

Quod si vt Teognidi placet, *sapientia est celeris morũ mutatio*. Cur hanc vestimenti quam mores spectare crediderunt & summus Pontifex, & Reuerendissimus Generalis, cur inquam tamdiu distulit? cur tantopere comperendinauit? cur vel primo quoque tempore commissionem sibi factam 15. Ian. ann. 1620. illico non curauit exequutioni mandari? cur non iussit? quorsum non coegit, & vt poterat non puniuit detrectantes? quando ea facilis erat mutatio, quam vnam conditionem requirebat superiorum voluntas, vt vbique admitteretur. Sapientia est haud dubiè, prudentia est, discretio est. Esto per me licet

κραιπνη. τοι σοφίη γίγνεται εὐτροπίης in fine.

Claud. Paneg 6.

---Medium non deserat vnquam
Cæli Phœbus iter radijs tamen omnia lustret.

Sed ardeo percunctari iterum, num poterat saltem Româ reuersus, hanc suis mutationem iniungere? Nonne satis habebat roboris Generalis decretum Capituli, memorata ante iuxta decretum Reuerendissimi patris commissio, vt omnes ad Griseum colorem induceret? vt vehementius sollicitaret? vt suo ipse exemplo alijs præiret? non fecit tamen, nihil præcipitauit, omnes horas prudentiæ expendit, nulla omisit discretionis momenta,

Claud. de bello Get.

Fregitque furorem cunctando.

Et vero postea quam Româ reuersus, non omnes in allatum Generalis Capituli placitum (licet maiorem partem) consentire animaduertit: dilatam potius opinionum varietate, nec-non discretione superiorum; quàm culpâ suâ, aut cuiusquam nominatim, sublatam eiusmodi mutationem Reue-

rendissimo Patri per literas humiliter excusat. Nec mora redditæ nobis sunt litteræ quibus Reuerendissimus Pater hanc mutationem, sic quasi superior suadebat. Extat autem hoc modo. *Frater Sebastianus Fantonus magister ac humilis Prior Generalis ordinis Carmelit. dilectis in Christo filiis Prioribus, Magistris, Patribus, ac Fratribus istius dilectissimæ nobis Prouinciæ Turoniæ; salutem in Domino, & per sanctæ obedientiæ meritum & æternæ gloriæ præmium.*

Litera Reuerendissimi Generalis ad Capitulum & vniuersam Turoniæ prouinciam explicantes & proponẽtes decretum Generale, de griseo colore vbique assumendo.

Caussæ & rationes cur Griseus color debeat ab omnibus Carmelitis assumi.

1\. *Quia sumus omnes vnius matris filij.*

2\. *In apparentia exteriori vniformitas.*

3\. *Ut ab aliis discernamur.*

Notum vobis facimus qualiter in Capitulo generali proximè præterito, inter cætera ad reformationem, & regimen istius nostræ Prouinciæ spectantia, hoc fuit STATVTVM ET DECRETVM, *vt omnes regulares nostri eandem habitus formam & modum, atque externam vestimentorum rationem seruarent,* DE VNO ET SOLO COLORE GRISEO SCILICET NATIVO, ABSQVE ALIA TINCTVRA, *vbi commodè fieri poterit; vt sicut vnius & eiusdem matris filij appellamur & sumus, ita nedum in externa, sed etiam in interna apparentia vniformes inueniamur, & à cæteris discernamur. Quapropter vt istud decretum executioni mandetur, vos omnes confratres in capitulo Prouinciali congregatos quamplurimum in Domino hortamur, & in meritum sanctæ obedientiæ iniungimus, vt præfatam vestimentorum rationem tam quoad modum & formam, quàm quoad colorem Griseum omnes tam clerici, quàm laici seu conuersi absque vllâ diuersitate & distinctione, quæ non mediocrem Religioni iacturam parit, & oculis secularium displicentiam inferre solet in posterum, vti æquum & pulchrum est, amplectamini, & laudabilem ordinis nostri consuetudinem in hac conformitate*

cum Religionis capite obseruandâ, suscipiatis, & retineatis. Horum fidei datum Romæ die 4. Nouembris 1621. 4 ad vitandum scandalum. 5 Æquitas & decentia.

Fr. Sebastianus Fantonus Gen. Carmelit. 6 Antiquitas & ordinis consuetudo.

Ergo legitur publicè ea commissio in Capitulo Prouinciali Ploermeli in Armorica, celebrato die 22. Aprilis anno Domini 1622. perlecta examinatur, & ab ijs quorum intererat, ex Religionis more, vltro citroque re totâ diligentissimè expensâ. 7 Membrorum cum capite conformatio.

4. Æn. *Hæc alternanti potior sententia visa est.* Præstat verò ipsa Capituli verba audire. *Exequutio decreti Reuerendissimi P. Generalis de gestandis vestibus Griseis fuit dilata, donec iterum informaretur ac super hac re consuleretur Reuerendissimus P. præfatus, cuius voluntati & decretis nos subijcimus, si prius audire dignetur nostras rationes.* Vides, mi Lector, vt neque recusent obedientiam, nec eam imprudenter arripiant: sed quod decet licetque, sua superiori sensa prius non fictâ obsequij voluntate aperiant. Quidnam decreuerit Prouinciale capitulum, circa iniunctam coloris mutationem.

Quæ vniuersa dum resciuit Reuerendissimus Pater haud quaquam ignarus in corpore religioso non aliter, quàm in humano sanitatem esse reuera aliud nihil nisi iustam calidi & frigidi commensurationem: & ex sententia D. Nazianzeni *Bonum quod à libera voluntate fluit, demum dignum laude esse existimandum*, de tota controuersia ad Reuerendum Patrem Matthæum Pinault proximis comitijs Prouincialem electum, ita rescribit, *Quoad vestimenta fratrum, gratissimum* Sanitatis definitio. Arist. 7. Phis. τὸ ἀγαθὸν ἐκ προαιρέσεως, ἐπαινετόν.

Rescriptum Reuerendissimi P. Generalis.

mihi erit, si vt sumus vnius matris filij, ita in externa apparentia vniformes à cæteris distinguamur & cognoscamur. Quare tibi specialiter committo, vt dexteritate quâ polles, omnes ad colorem Griseum amplexandum promoueas & exhorteris Romæ 2. Iulij ann. 1622.

Commissio P. Matthæi Pinault Prouincialis electi, vt colorem Griseum inducat.

Oues vbi è fonte biberunt nigrum colorē in Griseum mutant

Fontem in littore maris Arabici narrat Solinus post Varronem, quem si oues biberint mutent illico vellerum qualitatem, non albo amplius aut nigro qui erat ante, sed fuluo tamen nigrescente colore postmodum in ouibus apparente. Et miraberis si dijs placet homines Religiosos, quos in scripturis sæpè ac sæpiùs ouibus videas comparari, degustatis non semel Reuerendissimi Patris, nec-non Capituli Generalis vel imperio, vel suasione, sic quasi salutaris aquæ poculis & haustibus, mutato vellere à pristino nigroris colore in fuluum Griseumue, sed tamen ad nigredinem tendentem discedere. Immo vero *quanto quis diligentiùs obsequitur,* infit Aristoteles, *tanto maiorem gratiam merebitur obtinere.* Cap. 35. Libro Oeconomic.

Diligentia obedientiam auget meritū.

SECTIO SEXTA.

Tandem post triennij consultationem, accedente authoritate regia, nec non sanctioris consilij, iniuncta coloris mutatio effecta est.



Vrrebamus vnanimi omnes consensu in Turoniæ prouincia, certè ex regulæ præscripto longe maior pars, ad iniunctam coloris

coloris mutationem: Iamque ſtadium obedientiæ occupauerat cum ſuis Reuerendus P. Aquitaniæ Prouincialis, adeo ſcilicet non expectauit nos comites, vt etiam quod glorioſius eſt præcurrerit. Cum ecce tibi Reuerendus P. Ioannes Tuaut vir expertâ dudum doctrinæ ac virtutis laude cumulatus trahitur ad publicum iudicium. Quo tandem nomine? nouitatis præiudicio antiquitatis inductæ, & perſonati criminis reus, in foro coram auguſtiſſimo Senatu Pariſienſi, quod innocens Superiorum mandata obiiſſet, iuſtiſsimam cauſam dicturus. Cæterum Chriſtianiſsimo Regi Galliarum Ludouico, placuit ad ſanctius interiuſque conſilium ſuum cauſam euocari.

R. P. Aquitaniæ Prouincialis Griſeum aſſumit & idcirco in ius vocatur.

Controuerſia ad priuatum Regis Conſilium euocatur.

Hinc nimirum quoad clarius liqueret de quæſtione, perque omnes numeros non obſcurè cognoſceretur. Selecti principes in iure dicundo viri, qui ritè in cauſam inquirerent; inde fœlicibus auſpicijs rem totam diligenter examinare aggrediuntur, illuſtriſsimus Cardinalis Dominus de la Rochefoucault, magnus Galliarum Eleemoſynarius, inter proceres Conſilij præcipuus: Quem, vt verbo dicam,

1. De bello ciuili.

Actionis disceptatores electi.

Magnum voluere homines, quē numina magna maiorē.

Duo itidem de eorum cœtu, quos pedum & infulæ, magiſque multò literarum & virtutis ſtudia commendant. Dom. Archiepiſcopus Bituricenſis, vnaque Dom. Vaurenſis Epiſcopus. Affuere etiam actioni inſtruendæ conſiliorum primarij Dom. de Marillac, & Dom. Laiſne; quorum omnium prudentiam & conſiliorum vim rebus maturè

administrandis, vniuersa Gallia meritò suspicit pridem ac demiratur. Illi ergo quinque viri posteaquam ex institutis, moribus, formulis, vsuque solemni de causa sedulo cognouerunt, vti Bulla Pauli Papæ quinti, nec-non Generalis Carmelitarum & Capituli præceptio de colore nigro in griseum commutando, per vniuersam Galliam obtineret, in frequenti procerum consilio retulere. Quamobrem auditâ disceptatorum in hac controuersiâ relatione, rogatisque patrum sententijs decretum pronunciat Christianissimus Ludouicus Rex, idemque iustissimus.

Cede Deo dixitque, & prælia voce diremit. Lib. 5. Æneid.

Scilicet edictum sancitur in hæc verba.*

Quibus tandem omnibus maturè exactis, insuetum vestimenti colorem griseo commutare optimum duximus vniuersi.

Nauem enim non moratur vnus. Martial. lib. 10. Epig. 8.

Optimum inquam, quando quidem iuxta verissimam Philosophiam, opus quod fit à melioribus semper est melius; imo & illud melius, quod optimo propinquius. Illud porro in vno quoque genere quod primum est ac princeps, censetur & optimum, adeoque norma mensurave cæterorum. At quis nisi cœcus non videt Reuerendissimum P. Generalem ordinis totius caput & principem optimum, non modo ab omni ætate griseo colore vestiri, sed hunc ipsum colorem vniuersis iubere, præcipere, suadere. Num præuidit motus qui ex ea nouitate erant consequuturi? Immo verò & sanguis qui in capite continetur, tenuissimus & puris-

Arist. 1. polit.
Lib. 2. de cælo.
D Thomas 1. 2. q. 9. a. 1.
Lib. de som. & vigil.

* *Rex in suo Concilio conformiter ac secundum dictum aduisamentum euocauit, atque euocat ad se consiliumque suũ principalem partium contentionem* (scilicet vt præmittitur de nigri tincti coloris factâ à nonnullis in griseum mutatione,) *insuperque eius statuens, ordinauit atque ordinat, quod dictum decretum seu ordinatio generalis dicti ordinis Carmelitarũ, pro ipsius ordinis Reformatione, executioni mandabitur in Francia quidem inter eos qui dictam reformationem voluerint amplecti, quibus impedimentum vllum dari ab alijs qui scilicet noluerint eandẽ reformationem amplecti, dictique decreti seu ordinationis dicti Generalis quoad hocce, vllatenus retardari, vetat atque inhibet. In eaque ipsa executione sua maiestas procedi vult ac iubet, non obstantibus appositionibus aut appellationibus quibuscumque, absque earum tamen præiudicio, quarum quidem cognitionẽ sibi suoque consilio reseruauit; eamque omnibus curijs suis iudicibusque interdixit. Actũ in Consilio priuato Regis apud Bellũ Fontẽ, die nonâ Iunij anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio.* Sic signatum Postel ac sigillatum.

ſimus dicitur Ariſtoteli; & in ſacris paginis *Sapientis* cuiuſque, hoc eſt Religioſi hominis *Oculi* ſcientia nimirum præuiſio, notitia, cognitio, ſapientia, *in Capite*, ſuperiore videlicet eſſe perhibentur.

Singularis eſt ſuperiorum prudentia ſapientiaque in regendis inferioribus.

Sed iuuat audire iterum, quàm libenti animo de hac mutatione à nobis factâ inaudierit Reuerendiſſimus Pater: quantopere eam approbarit, ratam fixamque iuſſerit: quàm prolixè per literas cunctis qui commutauerant ſit congratulatus, tantum abeſt vt Palinodiam retexens, primam immutarit voluntatem. Sic ergo ſcribit ad ſuam mentem, & noſtra omnium vota. Fr. *Seb.* Fant. *Magiſter ac hum. Pr. Gen. ord. Carmelit. dilectis nobis in Chriſto filiis Reuerendo admodum P. M. Matthæo Pinault, cæteriſque Prioribus, Magiſtris, & Patribus noſtræ Prouinciæ Turoniæ Salutem in Domino.*

Nota Reuerendiſſimum Generalem, hanc coloris mutationem iniunxiſſe tantum iuxta decretum Capituli Generalis, non vero priuato nomine.

Quoniam nobis nunciatum eſt in pluribus iſtius noſtræ Prouinciæ Turoniæ conuentibus, mutationem nigri coloris in griſeum à Religioſis noſtris in veſtibus fuiſſe factam, IVXTA DECRETVM CAPITVLI NOVISSIMI GENERALIS, *quo omnes Religioſi noſtri ad talem mutationem exhortabantur; vt hoc quod mirabiliter Deo adiuuante factum eſt perpetuam roboris habeat firmitatem: authoritate noſtrâ harum ſerie præcipimus & mandamus omnibus Religioſis iſtius Prouinciæ Turoniæ qui iam dictum habitum ſuſceperunt, ſub pæna priuationis cuiuſcumque officij, aliiſque pænis nobis reſeruatis, nec-non & inhabilitatis ad officia ordinis in perpetuum,* NE DICTVM COLOREM GRISEVM VLLA DE

Littera ad vniuerſam Turoniæ prouinciam, quibus ſuperior Generalis factam coloris mutationem approbat, & ſub grauiſſimis pænis vt in Griſeo perſeueremus denunciat, ideoque qui iam griſeum deponerent, veriſſimum præceptum, de facto violarent.

CAVSA VNQVAM DEPONERE VALEANT. *Scientes quod nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Rogamus autem quantum in Domino possumus præfatum Reuerendum P. Prouincialem, vt in alijs quoque Prouinciæ Conuentibus, qui nondum nigrum colorem deposuerunt, Griseum quàm citiùs introducat: vt omnium vnus idemque vestitus sit, sicut omnium cor vnum esse debet & anima vna. Ad notitiam verò harũ nostrarum literarum volumus, vt publicentur in cunctis Conuentibus istius nostræ Prouinciæ, qui talem habitum Griseum iam susceperunt, vt mens & voluntas nostra omnibus innotescat. In quorum fidem præsentes fieri mandauimus, manu nostrâ subscriptas, & officij nostri sigillo munitas. Datum Romæ 23. Ianuarij 1623.*

Ex his apertissimè constat de ardenti & sincera superioris Generalis voluntate, pro hac coloris mutatione.

Attende mentem & voluntatem Patris Generalis, quam vult omnibus notam fieri.

Fr. Seb. Fant. Generalis Car.

Fr. Fran. Maria Guascus secret. ord.

Sed enim quo omnes fibræ dubitationis, & controuersiæ radices stirpitùs euellantur: Audi, si me amas, immo si veritatem, quibus tandem verbis cordatissimus Pater querelis quæ inde poterant oriri satisfaciat. Extat enim Epistola ad Reuerendum Patrem Magistrum Priorem Parisiensem, ac Doctorem Theologum, & hanc alienâ industriâ typis excusam habeo in manibus. Illic nimirum postea quam inusitatam vestium formam, quæ illi scripto pingebatur, summè prohibuit. Sic loquitur: *Omnes semper admonui vt in reformandis Prouincijs, ab omni prorsus mutatione (colore excepto de*

Epistola Patris Generalis, ad Priorem Parisiensem, qua colorem Griseum vsque protegit ac tuetur.

quo infra) abstinerent, & hæc de mandato Illustrissimi ac Reuerendissimi D. D. Cardinalis Millini protectoris nostri; & paucis interiectis, *circa Decretum Regium non video qua in re authoritas nostra delusa fuerit. Hæc enim totius Decreti summa est, vt Bulla Pauli quinti exequutioni mandetur in Gallia, ab ijs qui illam recipere voluerunt, qui à renuentibus nullo modo molestari possint nec debeant, nec exequutionem Decretorum & ordinationum nostrarum nullo modo valeant impedire: circa vestium mutationem quoad colorem, omnes hortatus sum Prouinciales vltra montes, vt griseum colorem susciperent: nullum coegi, nisi fortaßè in aliqua Prouincia, in qua maior pars Religiosorum dictum colorem susceperant; à quibus rogatus præcepi, & facultatem dedi Prouincialibus, vt renuentes cogerent, ne in vna Prouincia esset disparitas:* tandem concludit, *vt Conuentus omnes quoad mores reformentur secundùm nostras constitutiones & regulam mitigatam omnibus præcepi, & iterum præcipio: vt immutentur (colore excepto & hoc sponté) & prohibui & prohibeo. Quod vero Decretum constituam, ne vllus in vniuersa Gallia grisei coloris habitum deferat, sed omnes nigro colore tincto, hæc nullo modo præstare debeo; tũc enim mecũ repugnantia loquerer & cõtradicens inuenirer, quæ enim cõcessi reuocare nolo. Sat vobis sit quod vos ad griseum habitum, nec ad vllam exteriorem mutationem in vestibus cogam. Vale Præneste die 13. Augusti 1623.*

Illustrissimus Cardinalis Millinus Protector mãdat coloris mutationem, omnem aliam in vestibus prohibet.

Decretum Galliarũ Regis tantum explicat & stabilit Bullam Papæ & decretum superioris Capitulique Generalis de nigro colore in Griseum mutãdo, reliquisque ad reformationem pertinentibus.

Apertè edicit Pater Generalis, nolle se vnquam, nec debere, decretum de Griseo assumendo retractare.

Innuit nolle se absolutè ad eam mutationem cogere tametsi posset legitimè.

Amantissimus in Christo Pater fr. Seb. Fant. Gen. Car.

Iam verò, candide Lector, permirum quantum ex te scire vellem, an putes eam coloris mutationem à nonnullis factam arbitrariè? post tot & toties repetita præcepta, institutiones, imperia, persuasiones, exhortationes & obedientiæ merita: an præcipitanter? post triennalem moram: an inconsultis iis quorum plurimum intererat? post expositam commissionem à R. P. Prouinciali Philippo Thibault in suis, quod iubebatur, visitationibus; post celebratum Generale Capitulum, Prouinciale, domestica complurima; deniquè post literas ad Generalem vtrinquè rescriptas, & reliquas eiusmodi nimias, meo iudicio, si rigidè loqui velimus, adhibitas præcautiones: sapientis namq; oraculum est, *qui obseruat ventum non seminat, & qui considerat nubes nunquam metet.* An deniquè temerè, imprudenter aut intempestiuè? post tantam discretionis lentitudinem? post pensas, expensas, pensitatas omnes quæ fingi possunt circumstantias?

Hæc coloris mutatio arbitraria non est.

Non item leuis aut temeraria.

Neque inconsultis ijs quorum intererat.

Eccles. 11.

Sed omni discretione & iustitia condita.

Deus bone! in supremi Pontificis voluntate acquiescunt qui colorem mutauere: quid ergo vanissimis in speciem terriculamentis subindè conturbantur? Cardinalis protectoris tunc in Capitulo Romæ præsidentis nutus & assensum exequuntur, cur ergo vocantur in iudicium quasi perduelles, & læsæ antiquitatis rei? recipiunt commune totius Ordinis Decretum; R. Generalem suadentem audiunt, iubenti obtemperant, exhortanti morem gerunt. Quorsum igitur immerenter accusantur? expectata placita, secretioris consilij edicta: regiæ quoque imperia maiestatis, huic coloris mutatio-

ni vtique patrocinantur: & nos plumbei ac stipites nunquam vel iubentes obaudiemus? vel suadentibus assentiemur? vel in tutela omni exceptione maiori fidi clientes assidebimus? quid multa? optimorum inhæremus vestigiis: sequimur aliorum exempla; quousque igitur & quo iure per Deum immortalem. Hæc mutatio vestimenti obedientibus turbas concitabit? Immo verò non pudet nos, os sacrum diuinæ mentis numen, non pudet viam tuorum decurrere mandatorum; sed fatemur ingenuè sequi dispudet, & iuuisset præcessisse: quamquam dicam ego deprecatoriâ, perindè ac reuerenti voce.

Horat. 1. lib. epist. 1. epist.

Non tardum operior sed præcedentibus insto.

Demum vt vt sit.

Senec. in Agam. act. 2.

Sera nunquam ad bonos mores via est.

SECTIO SEPTIMA.

Hanc mutationem vestimenti etiam ex iuris ac iustitiæ legibus, nobis potuisse iniungi, ab iis quorum est authoritas probatur.

PRÆCLARVM verò ædificium, dicet aliquis; sed quod mole paulatim excrescente quò altius consurgit, eò magis, vt pote vacillanti innixum fundamento, vitium facit: ideoque dehiscentibus rimis ruinam minatur, minus periculosam quàm irridendam. Quid enim tanti interest con-

Fallit anonymus dum cap. 4. sic inscribit quod nō deceat R.P. Generalem cogere fratres Gallos ad griseum.

trouersam coloris mutationem vel in ea perseuerantiam esse iniunctam, si eiusmodi præceptum tam supra est authoritatem Superioris, quam inferioris obligationem infra esse conuincitur. Nam eorum longè diuersa ratio quæ humanitus cõstituta sæpè ab iniquo principio oriuntur, & quæ æternâ naturæ constitutione, nexuque causarum perenni statu consistunt; in his siquidem ab actu (quod aiunt) optima est ad potentiam consecutio: in illis vel nulla sæpè, vel etiam interdum pessima. Quotus enim quisque eum ferat Superiorem, qui super Patrum traditiones minimè constitutus, nouas interim leges pro arbitrio condere præsumat? nullâ aliâ ratione quam

& mala fide concludit in corpore, Superiorem Generalem, non posse talem coloris mutationem præcipere, à sapientissimo Patre decerni non potuit, *inquit ille.*

In naturalibus bona est consequẽtia ab actu ad potentiam, non ita in moralibus.

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

O cœlites! vsquene adeo verum est (quod olim pulcherrimè Lactantius) *natura hominum procliuis in vitia est, vt velit videri non modo cum venia, sed etiam cum ratione peccare*? Det meliora Deus! & absit à me tantum nefas, vt quemquam in Christi schola eruditum, hoc mentis vitio laborare existimem: itaque de toto & integro mihi res est cum anonymis, qui fortè Codicis magis, quàm obedientiæ legum periti; quin etiam omnis iustitiæ & æquitatis rudes, contra veritatem inani labore ac prorsus inepto audent decernere. Horum ergo vel errorem reuincant, dum falluntur; vel dum fallunt, mendacia confutent, statuta iuris, iustitiæ leges, legum sanctiones, Theologiæ oracula.

Lib. 4. de iust. cap. 24.

Non absolutè verum est nudam Superioris voluntatem vigorem legis habere D. Tho. 1. 2. q. 90. ar. 1. ad 3. Castro lib. 1 de lege pœnali cap. 1. Soto lib. 1. de iustitia q 1. a. 1. Roderic. q. 68. a. 1 et fuse D. Bernard. lib. de præcep. et dispens.

Ad excusandas excusationes in peccatis. Psal. 140.

Atque vt primo ictu cuneus statim adhibeatur difficultatis nodo, quem nonnullos audio in hoc præcepto,

præcepto, aut suasione ceu in scirpo inaniter quærere. Vnum præmoneo, mi Lector, quod à te diligenter velim obseruatum. Nos videlicet nec velle, nec debere disputare impræsentiâ (quod variantibus admodum sententiis in vtramq; partem exagitant authores) An R. P. Generalis supremâ quâ pollet in Ordine authoritate, per se seorsim cõsideratus, & citra aliorum consensum statutum promulgare queat (nam de præcepto nemo ambigit) quo griseus color nigro abrogato vniuersis præcipiatur? vt enim concedam cum Angelico Doctore 1.2 q.95.a.4. cui astipulatur Bellar. tom.1. tract. de Roma. Pont. mixtam regendi formam, ex Monarchia nimirum & Aristocratia, in Religionibus puræ Monarchiæ in tyrannidem sæpissimè degeneranti præcellere. Non esset tamen operosum, accedente præsertim Suaris doctrinâ loco memorato, ostendere nos cùm ex Regulâ, quam amplectimur: tùm ex voto quod cõcipimus Generali per omnia obediẽdi *iuxta prædictam Regulam* (quæ griseum colorem nihil vetat, neque nigrum imperat, quatenus extat ab Alberto exarata, sed prout à Ioanne quadragesimo quarto, griseum sine tincturâ commendat) ad illud Decretum pronis animis subeundum peculiariter obligari. Id inquam procliue mihi videtur, nisi intercederet expressa totius Ordinis super hac re constitutio, quæ sic edicit, *Non poterit Prior Generalis illud quod in capitulis Generalibus statutum fuerit, vel ordinatum, cassare vel irritare: sed in exemplum aliorum illud diligenter obseruare, & ad obseruandum alios efficaciter inducere &*

Suar. lib. 4. de leg. c.6 miranda q. 19. Man. præl. Cord. in Reg. S. Frãs & alij apud ipsos.

Locus hic & controuersia non exigit disputare, an superior Generalis præceptum ferre possit vniuersos obligans ad coloris mutationem.

Mixta regendi forma ex Monarchia & Aristocratia Religionibus vtilissima.

Griseus color est vtiquè iuxta regulam, non præter, aut contra; igitur cum iuxta regulam *per omnia voueãt obedire Carmelitæ tenentur etiam ad hunc vestium colorem, & quidem vniuersa singulorũ collectio omnes enim ex æquo idem votum emittunt & multitudini dicitur* audi Israel & tace, obserua vt facias.

Rub. 1. de off. Pr. Generalis.

coarctare. Quamquam & ita etiam iſta poſſent explicari, vt hoc non obſtante ſtatuto, griſei coloris præcipiendi ſarta tectaque maneret ſuperiori Generali poteſtas. Hæc ſiquidem coloris ad griſeum determinatio, non eſſentialia Religionis, ſed tantũ accidentalia ſpectat, vt in ſimili caſu dilucidè oſtẽdunt Corduba in cap. 2. Reg. S. Franciſ. & Roderic. q. 68. accedit quod præfata conſtitutio intelligi ſolum debet de iis, quæ ſunt præter infraue regulam abs toto Ordine definita, non autem de iis quæ ſunt *iuxta*, ad quæ tenemur ex vi voti à nobis noncupati, Superiori Generali obedire. Tandem meminerit Lector nulla in Ordine reperiri ſtatuta, quæ griſeum Gallis prohibeant, etſi reperiãtur, quæ nigrum. Obſeruabam enim paulo ante vel nigrũ artificioſè tinctum permitti tantum, vel fortè melius, loqui conſtitutiones de nigro natiuo, non artificioſè tincto.

Eſſentialia Religionis mutari non poſſunt à ſuperiore etſi accidentalia.

Verùm hâc quæſtione prætermiſſâ, quæ importunè & procul à propoſito, in ſpeciem terroris impoſturâ vaniſſimâ intruditur. Totus in eo vertitur difficultatis cardo, vt probem decretũ iſtud quod à R. P. Generali ſimul & Capitulo itidem Generali (ſuam autoritatem & poteſtatem in Generalis pectus deferenti) ſancitur veram eſſe legem, iuſtam, æquam, honeſtã, quæ nec Superiorum poteſtatem excedat, quæq; proindè inferioribus niſi foret mitigata, obediẽdi neceſſitatem, in cõſcientia imponeret: obediẽtes verò ab omni culpa omnino vindicet. Quam ego veritatem paucis, ſed apertis, ſed veris, ſed conuincentibus argumentis demonſtra-

Status quæſtionis.

turum me spondeo atque recipio. Ac primũ quidem sententia illa est omnium Doctorum calculis certissimè definita, nullam omnino esse cõmunitatem seu Rempubl. legitimis ortam principiis, & à suprema Pontificiæ sedis autoritate confirmatam, quin vna simul potestatem habeat ferendi propria statuta & leges, quibus ipsius inferiores Reipublicæ cõmuni inter se iure deuinciantur; id modo fiat secũdùm quod primo submisêre se inferiores, Carmelitæ videlicet *iuxta Regulam quam profitētur*, quæ vt minimum vestis colorem Superiorum arbitrio relinquit; sin min⁹ (quod cõtendo iamq; sufficiẽter probaui) griseum primaria præcipiat. Et verò quis nesciat (vt antecedens planũ faciam) homines ita in vnũ legitimè congregatos conuocatosq; mysticũ corpus repræsentare, cui à natura, immo ab autore naturæ Deo, indita est mystica itidem siue moralis potestas ad motus legitimè ciẽdos, actiones dirigẽdas, publicæ rei stabilitatẽ, mutuã animorũ cõciliationẽ, & quod caput est, perpetuã boni communis procurationẽ; haud secus quã in naturali cõcinnâq; humani corporis fabricâ, artus videas & membra pulchrè inuicem colligata, cõmeante intra vitali spiritu, à quo certâ lege motus & actiones exercentur, aptis partim latentibus, partim apparẽtibus, inter se commissuris cohærere. Certè eiusmodi iurisdictionem in subdita mẽbra Religiosis cõmunitatibus, à suprema sede impertitam asseueranter pronunciat. Eman. Roderic. q. Canonic. & Reg. tom. 1. q. 10. Ludouic. Mirãda in manuali prælato. q. 29. a. 1. concl. 3. Suar. l. 4. de leg. c. 6. *Habent enim*, inquit il-

Omnis superior & legitima Communitas potest ferre decreta, quæ obligent sibi subditos.

Ratio cur in Republica sit legislatiua potestas.

Similitudo ducta abs naturali corpore ad morale.

le, *Religiosæ communitates suam potestatem ferendi propria statuta & leges*: consentitque vniuersa schola. Quod equidem non obscurè definitum videtur à summis Pontificibus Innocent. c. in singulis de statu Monach. Martin. 5. & Eugen. 4. qui Pontifices, prout refertur in Compendio Cistercij tit. conseq. seu definit. §. 1. *Concesserunt quod Generalis reformator & capitulum Generale huius Congregationis, pro directione ac subditorum animarum salute stabilitateque monasteriorum in spiritualibus & tẽporalibus, circa eius Regulam, & eius obseruantiam occurrentes ambiguitates, obscuritates & dubia declarandi, dilucidandi, interpretandi, & dispensandi; statutaque & ordinationes, seu eiusdem definitiones etiam interpretandi, modificandi, dirigendi & reformandi, mutandi, variandi, tollendi, reuocandi, cassandi & alterandi, necnon noua edendi, condendi & faciendi plenam & liberam authoritate Apostolicâ, facultatem & potestatem habent.* His super authoritati clarissimè suffragatur ratio quã insinuauit D. Tho. a. 3. q. 91. de legib. Quemadmodum enim supremus Legislator Deus, ideq; aspectabilis huius mũdi nobilis Architectus, cuncta quæ visuntur in hac vniuersitatis prouinciâ certissimis nexibus, ratis statutisque legibus ita inter se conglutinauit, vt dum creaturæ omnes in genuinum finem variis actionibus motibusque natiuis inclinantur, nulla tamen à communi lege exorbitet, nulla migret aut exeat limites in vniuerso constitutos. Pari profectò ratione, cùm omnis Congregatio, Communitas, Respublica, societas probis artibus rectè conuocata, imitatio quædam sit æternæ illius gubernationis, cuius vestigia in hac rerum

Religiones approbatæ habẽt potestatem condendi leges & statuta.

Probatur autoritate Pontificis.

Quam late pateat, Superioris & Capituli Generalis potestas.

Antiqua statuta & cõstitutiones possunt mutari, variari, tolli, &c.

Hinc etiam si niger fuisset preceptus ante, iam tamen legitimè posset abrogari vt Griseus introduceretur.

Probatur ratione.

In vniuerso orbe certa sunt leges et statuta.

Omnis peculiaris et humana politia, imitatio est Diuinæ et Generalis.

immensitate demiramur; sanè consequens fuit, vt in eo cœtu aliqua eminerent potiora & nobiliora membra: aliquæ præcellerent personæ publicæ, in queis existeret iuris & legum potestas abs diuinâ & æternâ lege deriuata: & quæ quatenus publicæ, respicerent bonum itidem publicum, ad eum scopum collimarent, ad eum finem cæteros vt caput membra, vt totum partes dirigerent, inclinarent, cogerent.

Iam igitur rem dicamus; vel Carmelitarum Religionem legitimam esse communitatem, approbatam à summo Pontifice neges oportet (quod nemo nisi facinorosus cogitarit) vel si concedis (quod omnes Doctores Catholici) inficiari nequaquam poteris, posse saltem generale Capitulum antiquas leges explicare, interpretari, imminuere, abrogare, tollere, vel simpliciter, vel secundũ quid, per correctionem, contrarietatem, & contradictionem, vt fusè Suares 4. l. de legib. Panormit. in cap. ex parte de verb. signif. Bartol. in l. omnes pop. ff. de iust. Roder. q. 68. a. 4. &c. Item priscas rescindere, nouas condere, & cuiuslibet consuetudinis præiudicio statuta constituere. Quod si hoc negas, neges pariter vtpote in simili causa, & œcumenica Concilia, Ecclesiæ vniuersitatem: & Prouincialia, Nationalia, principalia, synodalia suæ iurisdictionis finibus comprehensos: & Reges ac magistratus, subditos incolasque: & Respublicas, multitudinem legibus vincire, statutis ligare, etiam in foro conscientiæ posse obligare. Religio namque nostra in suo ordine &

Religio Carmelitarũ cum sit vera et legitima communitas veras leges condendi habet potestatem.

gradu, tam eſt vera communitas ſiue ſocietas, quàm illa omnia. Iſtud verò vbi feceris, ad quod indubitanter par vtrimque veritas adigit, quid tandem? Iniurius eris haud dubiè in municipia, in vrbes, in ciuitates, in Reſpublicas, in Prouincias & Regna: blaſphemus in veritatem doctrinâ, authoritate, ratione, experientiâ compertam, ad extremum reus regiæ, pontificiæ pariter ac diuinæ majeſtatis.

Concluſio.

Exinde concluſio tam facilis quàm certa & euidens, ad quam nemo planè cœcutiat, niſi qui nolit intelligere vt bene agat. Ergo inquam poteſt, ſicuti reuera potuit (niſi temperaſſet) generale Capitulum legem ſiue Decretum ſancire, de nigro veſtium colore in griſeum commutando.

Cum potuerit fieri decretum de mutãdo colore, nihil abſurdum ſi factum eſt.

Non omne nouum reiiciendum.

Quoties legiſlator in ferendis legibus vtitur verbis præceptiuis tũc ſignum eſt eum voluiſſe obligare ad culpam, vt ſunt præcipimus, mandamus, à fortiori quam aliquid præcipitur diſtricte in meri

Non amplius opinor negas potuiſſe. Audiamus conſequenter ſi placet Ariſtotelem, *Poſſibili*, inquit primo Prior. *poſito in eſſe nullum inconueniens ſequitur*, & Chriſtianæ Philoſophiæ princeps D. Auguſtinus l. de ſpir. & lit. cap. 1. *fieri aliquid poteſt, etiamſi nunquam factum* pulchrè diſſerit. Fecit quod potuerat, iuſſit, imperauit, legem ſanciuit pro griſeo colore; nam tale eſſe decretum Generalis Capituli teſtantur Epiſtolæ Reuerendiſſimi P. Generalis, iam ſupra fuſiùs relatæ in commiſſione Reuerendi Patris Philippi Thibault, *Mandamus & præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt publicari facias Decretum de conformatione veſtium, & iuxta ſuum tenorem obſeruari*: & in literis ad vniuerſam Prouinciam. *Notum vobis facimus qualiter in Capitulo generali, &c.* ſupra Sect. 4. Attende non ſolus Generalis præcipit, ſed

Cic. orat. 3. vniuersum Generale Capitulum definit. At quis nescit, *Magnum numen esse vnum & idem sententiis Senatus*? Non vnus nescio quis proprio marte regulas fabricat cæteris, sed vniuersus Ordo sibi ipse leges imponit. Scio ego quid olim in simili materia dictum sit abs fœlicis memoriæ Reuerendissimo P. Generali nostro Nicolao Audeth in Epistola liminari, quâ cunctis statuta à se collecta commendat. Et iuuat patris verba filijs inculcare. *Insimul omnes*, inquit, *& singuli Magistri, Diffinitores, & Gremiales huius sacratissimi* Capituli *totũ* Ordinẽ *repræsentantes, &c.* Quid ni pariter Generalis itidem Capituli decretum totius Ordinis, vox, voluntas, mens, sensus, oraculum reputabitur? nonne omnes acquiescunt at ex Philosopho 6. Polit. *Pluralitas personarum in electione præfertur paucitati*, & si Christiano magis arrident verba Cassiani, *Generali omnium constitutioni, paucorum non debet præponi, nec præiudicare sententia*: imo & à regula sumus edocti *maiori ac saniori parti* nunquam non inhærere. Lib. 1. Instit. cap. 3.

tum sancta obedientia. Hæc probat ex communi iure Thomas de Jesu part 2. expos. Reg. pro quo citat medinam Castro, Nauarrum. etc.

Non solum Generalis superior, sed totum Generale Capitulum griseum colorem decreuit.

Definitores generalis Capituli totum ordinem repræsentant.

Pluralitas præferenda paucitati.

Sed quid dico bone Deus! Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Aquitaniæ, & cæteri quotquot sunt Prouinciales adsunt, vident, audiunt, non repugnant obstinatè, non opponunt sese, sed rem totam ponunt in Reuerendissimi Generalis voluntate eiusque consilij sententia; Diffinitores griseũ colorem decernunt, Reuerendissimus Generalis assentitur, Illustriss. Cardinalis annuit, non reprobat summus Pontifex, & dubitas vniuersum Ordinem tot ac tantis viris repræsentari? Nempe hæc semper fuit legum ferẽdarum solemnis ratio, iuris

ac iustitiæ institutum, & hoc audaciùs à scriptura *In semita iustitiæ vita, iter autem deuium ducit ad mortem.* Prou. 12. Quod si vera sunt quæ dico, vt sunt verissima, medius certè teneris quisquis cupiebas vel exolui, vel exoluere: nec vllatenus potes hac te argumentatione expedire. Fias Anguilla, ficulneis folijs quibus te stringo elabi non dabitur, nam nec inficiaris Capitulo Generali id decretum, quando & literæ, & commissiones monumentaque testantur: neque quod faciebas, aut certè dissimulabas, audebis amplius negare potuisse id decerni, quando hoc ipsum, vt vidimus, aperta veritas pronunciauit. Obmurmurat tamen, & ait non benè constanti vultu, illud quidem esse verissimum decretum, sed restrictũ seu limitatum hac clausula, *griseus assumatur vbi fieri commodè poterit.* Quis id negat? nemo haud dubiè; sed retorqueo, vbi hæc cõditio reperietur, vbi coloris mutatio commodè fieri poterit, decretum tenebit? obligabit, annõ? sed amabo, ec quod incommodum in Gallijs? quænam tanta difficultas, si quisque amet obedire? Aliquibus commodè fieri non potest, & hi ergo non incurrunt inobedientiam: alijs commodissimè, & hi ergo tenentur ex obedientia: positâ enim conditione sequitur effectus.

Licet ijs qui commodè colorem mutare non potuerunt ea mutatio non sit absolute præcepta, quia deerat conditio hypotetica: ijs tamen qui commode potuerũt ob causam cõtrariam reuera iniuncta fuit et imperata.

SECTIO

SECTIO OCTAVA.

Dissolutis obiectionibus à debito fine, debitaque forma hoc decretum iustissimum esse demonstratur.

MAnet igitur Superiorem Generalem ex consensu Capituli Generalis, quâ veluti sacrâ anchorâ fulcimur, huius promulgandi decreti & potestatem habere & authoritatem. Non desit tamen aliquis qui ad authoritatem prouocans Diui Thomæ, neget hanc in Superiore leges ferendi potestatem sufficere, si id fiat contra finem legis, puta bonum commune: vel contra formam, si nimirum vel non ritè promulgetur, vel inæqualiter onera distribuantur. Hoc siquidem triplici defectu vel authoritatis, vel finis, vel formæ iniustam esse humanam legem, adeoque irritam cõcludit cũ coriphæo doctorũ turba.

Finis & forma conditiones sunt requisitæ vt decretum iustum sit & legitimum.

O Deus! in quæ me tempora reseruasti vt hoc viderem, vt hæc audirem? ergo tot oculi tamque perspicaces qui Capitulo Generali illuxerunt, in meridiana luce tenebris plusquam Cymmerijs circumfusi? Ergo sapientissimus Generalis, & diuturnâ rerum experientiâ nobis quoad vixit commendatissimus, in hoc vno præcepto à prudentis officio gubernatoris & nomine abiuit? ergo Religionis patres ætate graues, iudicio maturi, pietate & doctrinâ insignes, de quorũ splendidissima frequen-

tia verissime vsurparim verba illa Leonis magni præclarissima, *Angelicum in tot sanctis sentio interesse conuentum. Nec dubito nos abundantiore diuinæ præsentiæ gratiâ visitari, quando simul adsunt & vno lumine micant, tot speciosissima tabernacula Dei, tot membra excellentissima corporis Christi.* Et ij nihilominus licet oculati, enascitura tali ex præcepto mala non prospexere? vel si lyncei præuiderint, obuiam ire neglexerunt: longè certè diuersa sentiũt nostra etiã, ne abeam longius statuta, sic enim in materia non absimili sapientissimè eloquuntur. *Non ignorabant qui laneas esse ordinauerũt* (sermo est de interioris tunicæ materiâ, quem ad exterioris colorem transfero) *lanam carius vbique comparari quàm linum. Circumspexerunt probatissimi illi Patres omnia, & Prouinciarum ac circumstantiarum omnium occurrentias perlustrauerunt.* Serm. 1.

Superiorum mandata semper prudentissima.

Sed in quo tandem peccatum? non in fine, eorum enim interest qui personas agunt publicas, vniuersumque ordinem repræsentant, de fine, nempe quibusvijs ac rationibus bonum publicum comparetur dijudicare. Inferiorum subsequi & obsequi officium est, non præire, non imperare; & rectè dictũ arbitror à Plutarcho, *Lapidem amussi applicandum, non ad lapidem amussim*, quod si ad singula ita fas est resilire, vbi tandem erit obedientia? quæ, Clementi Alexandrino si fides habetur, *Rudens est religionis firmissimus*; sed ea videlicet *quæ fundatur mandatis*. Stat ergo de authoritate legislatorũ: constat de fine decreti perquàm optimo, cuius etiam rationes reliquo sermone fusius perquiro.

Bonum publicum ordinis à superioribus intentum, debitus est finis decreti.

Inferior sequi debet non præire.

Obedientia.

1. Pedag. c. 5. & 9.

Neque, quod tertium superest, de formâ vlla-

tenus dubitandum, in eo namque sita est, referente Diuo Thoma ar. 4. Roderic. Suar. de Valent. & alijs, vt primo solemni more promulgetur, quod ritè factum ostendunt literæ & commissiones; secundo vt æqualiter in subditos legis onera distribuantur, nec vnius partis præiudicio, altera immerenter habeatur eximia. Verum nil tale in nostro casu reperias, decretum namque omnes complectitur, Nullus excipitur à lege, vniuersi ad griseum impelluntur, suadentur; & qui dicto obaudierunt, in griseo confirmantur, lucranturque ingens obedientiæ meritum. ex quibus certissimâ ratione cõficitur nigri coloris tincti abrogationẽ esse *iustam*, quia ab habente potestatem: *rationabilem*, quia ob bonum publicum: *vtilem* deniquè, quia cum debita forma, ac proinde validam legitimamque, nullas enim alias conditiones requirit Doctor Angel. P. Suar. lib. 6. c. 26. & alij.

Forma delita legum in hoc decreto seruata est.

Decretum de nigro colore in griseum commutando iustũ est, rationabile, vtile, ideoque legitimum & obligans, si pracisè spectetur sine modificatione.

Necdum herbam porrigit veritati, sed quærit diuerticula, negat nimirum, pernegat statutũ illud quo ab antiquo niger color permittitur, abs sede Apostolica iã olim approbatũ, potuisse rescindi. O circulos! quã iure meritò nobis vt olim Crateri dixerit Stilpo Philosophus, ἀλγεῖν με χρεῖαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ.

Laert. li. c. 12.

Expiret leuis obiectio primo authorum omnium sententiis iugulata, quorum vna vox est in materiâ de legibus, eiusdem esse corrigere, cuius statuere: abrogare, cuius ferre: rescindere, cuius constituere; ne multa superiorem legislatorem, cuius omnis potestas in successores deriuatur, posse reuera suas ipse leges vel ampliare, vel restringere, vel

Eiusdem est legem restringere vel abrogare cuius ferre: vnde posito quod fuerit niger tinctus permissus in statutis, potuit nihilominus abrogari.

Eſſentialia Religionis mutari non poſſunt à ſuperiore etſi acciden talia.

coarctare. Quamquam & ita etiam iſta poſſent explicari, vt hoc non obſtante ſtatuto, griſei coloris præcipiendi ſarta tectaque maneret ſuperiori Generali poteſtas. Hæc ſiquidem coloris ad griſeum determinatio, non eſſentialia Religionis, ſed tantũ accidentalia ſpectat, vt in ſimili caſu dilucidè oſtẽdunt Corduba in cap. 2. Reg. S. Franciſ. & Roderic. q. 68. accedit quod præfata conſtitutio intelligi ſolum debet de iis, quæ ſunt præter infraue regulam abs toto Ordine definita, non autem de iis quæ ſunt *iuxta*, ad quæ tenemur ex vi voti à nobis noncupati, Superiori Generali obedire. Tandem meminerit Lector nulla in Ordine reperiri ſtatuta, quæ griſeum Gallis prohibeant, etſi reperiãtur, quæ nigrum. Obſeruabam enim paulo ante vel nigrũ artificioſè tinctum permitti tantum, vel fortè melius, loqui conſtitutiones de nigro natiuo, non artificioſè tincto.

Status quæſtionis.

Verùm hâc quæſtione prætermiſſâ, quæ importunè & procul à propoſito, in ſpeciem terroris impoſturâ vaniſſimâ intruditur. Totus in eo vertitur difficultatis cardo, vt probem decretũ iſtud quod à R. P. Generali ſimul & Capitulo itidem Generali (ſuam autoritatem & poteſtatem in Generalis pectus deferenti) ſancitur veram eſſe legem, iuſtam, æquam, honeſtã, quæ nec Superiorum poteſtatem excedat, quæq; proindè inferioribus niſi foret mitigata, obediẽdi neceſſitatem, in cõſcientia imponeret: obediẽtes verò ab omni culpa omnino vindicet. Quam ego veritatem paucis, ſed apertis, ſed veris, ſed conuincentibus argumentis demonſtra-

turum me ſpondeo atque recipio. Ac primũ quidem ſententia illa eſt omnium Doctorum calculis certiſſimè definita, nullam omnino eſſe cõmunitatem ſeu Rempubl. legitimis ortam principiis, & à ſuprema Pontificiæ ſedis autoritate confirmatam, quin vna ſimul poteſtatem habeat ferendi propria ſtatuta & leges, quibus ipſius inferiores Reipublicæ cõmuni inter ſe iure deuinciantur; id modo fiat ſecũdùm quod primo ſubmiſêre ſe inferiores, Carmelitæ videlicet *iuxta Regulam quam profitẽtur*, quæ vt minimum veſtis colorem Superiorum arbitrio relinquit; ſin min⁹ (quod cõtendo iamq; ſufficiẽter probaui) griſeum primaria præcipiat. Et verò quis neſciat (vt antecedens planũ faciam) homines ita in vnũ legitimè congregatos conuocatoſq; myſticũ corpus repræſentare, cui à natura, immo ab autore naturæ Deo, indita eſt myſtica itidem ſiue moralis poteſtas ad motus legitimè ciẽdos, actiones dirigẽdas, publicæ rei ſtabilitatẽ, mutuã animorũ cõciliationẽ, & quod caput eſt, perpetuã boni communis procurationẽ; haud ſecus quã in naturali cõcinnâq; humani corporis fabricâ, artus videas & membra pulchrè inuicem colligata, cõmeante intra vitali ſpiritu, à quo certâ lege motus & actiones exercentur, aptis partim latentibus, partim apparẽtibus, inter ſe commiſſuris cohærere. Certè eiuſmodi iuriſdictionem in ſubdita mẽbra Religioſis cõmunitatibus, à ſuprema ſede impertitam aſſeueranter pronunciat. Eman. Roderic. q. Canonic. & Reg. tom. 1. q. 10. Ludouic. Mirãda in manuali prælato. q. 29. a. 1. concl. 3. Suar. l. 4. de leg. c. 6. *Habent enim*, inquit il-

Omnis ſuperior & legitima Communitas poteſt ferre decreta, quæ obligent ſibi ſubditos.

Ratio cur in Republica ſit legiſlatiua poteſtas.

Similitudo ducta abs naturali corpore ad morale.

Religiones approbatæ habet potestatem condendi leges & statuta.

le, *Religiosæ communitates suam potestatem ferendi propria statuta & leges* : consentitque vniuersa schola. Quod equidem non obscurè definitum videtur à summis Pontificibus Innocent. c. in singulis de statu Monach. Martin. 5. & Eugen. 4. qui Pontifices, prout refertur in Compendio Cistercij tit. conseq. seu definit. §. 1. *Concesserunt quod Generalis reformator & capitulum Generale huius Congregationis, pro directione ac subditorum animarum salute stabilitateque monasteriorum in spiritualibus & tēporalibus, circa eius Regulam, & eius obseruantiam occurrentes ambiguitates, obscuritates & dubia declarandi, dilucidandi, interpretandi, & dispensandi; statutaque & ordinationes, seu eiusdem definitiones etiam interpretandi, modificandi, dirigendi & reformandi, mutandi, variandi, tollendi, reuocandi, cassandi & alterandi, necnon noua edendi, condendi & faciendi plenam & liberam authoritate Apostolicâ, facultatem & potestatem habent.* His super authoritati clarissimè suffragatur ratio quā insinuauit D. Tho. a. 3. q. 91. de legib. Quemadmodum enim supremus Legislator Deus, ideq; aspectabilis huius mūdi nobilis Architectus, cuncta quæ visuntur in hac vniuersitatis prouinciâ certissimis nexibus, ratis statutisque legibus ita inter se conglutinauit, vt dum creaturæ omnes in genuinum finem variis actionibus motibusque natiuis inclinantur, nulla tamen à communi lege exorbitet, nulla migret aut exeat limites in vniuerso constitutos. Pari profectò ratione, cùm omnis Congregatio, Communitas, Respublica, societas probis artibus rectè conuocata, imitatio quædam sit æternæ illius gubernationis, cuius vestigia in hac rerum

Probatur autoritate Pontificis.

Quam late pateat, Superioris & Capituli Generalis potestas.

Antiqua statuta & cōstitutiones possunt mutari, variari, tolli, &c.

Hinc etiam si niger fuisset preceptus ante, iam tamen legitimè posset abrogari vt Griseus introduceretur.

Probatur ratione.

In vniuerso orbe certa sunt leges et statuta.

Omnis pecularis et humana politia, imitatio est Diuinæ et Generalis.

immensitate demiramur; sanè consequens fuit, vt in eo cœtu aliqua eminerent potiora & nobiliora membra: aliquæ præcellerent personæ publicæ, in queis existeret iuris & legum potestas abs diuinâ & æternâ lege deriuata: & quæ quatenus publicæ, respicerent bonum itidem publicum, ad eum scopum collimarent, ad eum finem cæteros vt caput membra, vt totum partes dirigerent, inclinarent, cogerent.

Iam igitur rem dicamus; vel Carmelitarum Religionem legitimam esse communitatem, approbatam à summo Pontifice neges oportet (quod nemo nisi facinorosus cogitarit) vel si concedis (quod omnes Doctores Catholici) inficiari nequaquam poteris, posse saltem generale Capitulum antiquas leges explicare, interpretari, imminuere, abrogare, tollere, vel simpliciter, vel secundũ quid, per correctionem, contrarietatem, & contradictionem, vt fusè Suares 4. l. de legib. Panormit. in cap. ex parte de verb. signif. Bartol. in l. omnes pop. ff. de iust. Roder. q. 68. a. 4. &c. Item priscas rescindere, nouas condere, & cuiuslibet consuetudinis præiudicio statuta constituere. Quod si hoc negas, neges pariter vtpote in simili causa, & œcumenica Concilia, Ecclesiæ vniuersitatem: & Prouincialia, Nationalia, principalia, synodalia suæ iurisdictionis finibus comprehensos: & Reges ac magistratus, subditos incolasque: & Respublicas, multitudinem legibus vincire, statutis ligare, etiam in foro conscientiæ posse obligare. Religio namque nostra in suo ordine &

Religio Carmelitarũ cum sit vera et legitima communitas veras leges condendi habet potestatem.

gradu, tam est vera communitas siue societas, quàm illa omnia. Istud verò vbi feceris, ad quod indubitanter parvtrimque veritas adigit, quid tandem? Iniurius eris haud dubiè in municipia, in vrbes, in ciuitates, in Respublicas, in Prouincias & Regna: blasphemus in veritatem doctrinâ, authoritate, ratione, experientiâ compertam, ad extremum reus regiæ, pontificiæ pariter ac diuinæ majestatis.

Conclusio.

Exinde conclusio tam facilis quàm certa & euidens, ad quam nemo planè cœcutiat, nisi qui nolit intelligere vt bene agat. Ergo inquam potest, sicuti reuera potuit (nisi tempestasset) generale Capitulum legem siue Decretum sancire, de nigro vestium colore in griseum commutando.

Cum potuerit fieri decretum de mutādo colore, nihil absurdum si factum est.

Non, omne nouum reiiciendum.

Quoties legislator in ferendis legibus vtitur verbis preceptiuis tūc signum est eum voluisse obligare ad culpam, vt sunt præcipimus, mandamus, à fortiori quam aliquid præcipitur districte in meri

Non amplius opinor negas potuisse. Audiamus consequenter si placet Aristotelem, *Possibili*, inquit primo Prior. *posito in esse nullum inconueniens sequitur*, & Christianæ Philosophiæ princeps D. Augustinus l. de spir. & lit. cap. 1. *fieri aliquid potest, etiamsi nunquam factum* pulchrè disserit. Fecit quod potuerat, iussit, imperauit, legem sanciuit pro griseo colore; nam tale esse decretum Generalis Capituli testantur Epistolæ Reuerendissimi P. Generalis, iam supra fusiùs relatæ in commissione Reuerendi Patris Philippi Thibault, *Mandamus & præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt publicari facias Decretum de conformatione vestium, & iuxta suum tenorem obseruari*: & in literis ad vniuersam Prouinciam. *Notum vobis facimus qualiter in Capitulo generali, &c.* supra Sect. 4. Attende non solus Generalis præcipit, sed

Cic. orat. 3.

vniuerſum Generale Capitulum definit. At quis neſcit, *Magnum numen eſſe vnum & idem ſentientis Senatus*? Non vnus neſcio quis proprio marte regulas fabricat cæteris, ſed vniuerſus Ordo ſibi ipſe leges imponit. Scio ego quid olim in ſimili materia dictum ſit abs fœlicis memoriæ Reuerendiſſimo P. Generali noſtro Nicolao Audeth in Epiſtola liminari, quâ cunctis ſtatuta à ſe collecta commendat. Et iuuat patris verba filijs inculcare. *Inſimul omnes*, inquit, *& ſinguli Magiſtri, Diffinitores, & Gremiales huius ſacratiſſimi Capituli totũ Ordinẽ repræſentantes, &c.* Quid ni pariter Generalis itidem Capituli decretum totius Ordinis, vox, voluntas, mens, ſenſus, oraculum reputabitur? nonne omnes acquieſcunt at ex Philoſopho 6. Polit. *Pluralitas perſonarum in electione præfertur paucitati*, & ſi Chriſtiano magis arrident verba Caſſiani, *Generali omnium conſtitutioni, paucorum non debet præponi, nec præiudicare ſententia*: imo & à regula ſumus edocti *maiori ac ſaniori parti* nunquam non inhærere.

tum ſancta obedientia. Hæc probat ex communi iure Thomas de Jeſu part 2. expoſ. Reg. pro quo citat medinam Caſtro, Nauarrum. etc.

Non ſolum Generalis ſuperior, ſed totum Generale Capitulum griſeum colorem decreuit.

Definitores generalis Capituli totum ordinem repræſentant.

Pluralitas præferenda paucitati.

Lib. 1. Inſtit. cap. 3.

Sed quid dico bone Deus! Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Aquitaniæ, & cæteri quotquot ſunt Prouinciales adſunt, vident, audiunt, non repugnant obſtinatè, non opponunt ſeſe, ſed rem totam ponunt in Reuerendiſſimi Generalis voluntate eiuſque conſilij ſententia; Diffinitores griſeũ colorem decernunt, Reuerendiſſimus Generalis aſſentitur, Illuſtriſſ. Cardinalis annuit, non reprobat ſummus Pontifex, & dubitas vniuerſum Ordinem tot ac tantis viris repræſentari? Nempe hæc ſemper fuit legum ferẽdarum ſolemnis ratio, iuris

ac iustitiæ institutum, & hoc audaciùs à scriptura *In semita iustitiæ vita, iter autem deuium ducit ad mortem.* Quod si vera sunt quæ dico, vt sunt verissima, medius certè teneris quisquis cupiebas vel exolui, vel exoluere: nec vllatenus potes hac te argumentatione expedire. Fias Anguilla, ficulneis folijs quibus te stringo elabi non dabitur, nam nec inficiaris Capitulo Generali id decretum, quando & literæ, & commissiones monumentaque testantur: neque quod faciebas, aut certè dissimulabas, audebis amplius negare potuisse id decerni, quando hoc ipsum, vt vidimus, aperta veritas pronunciauit. Obmurmurat tamen, & ait non benè constanti vultu, illud quidem esse verissimum decretum, sed restrictũ seu limitatum hac clausula, *griseus assumatur vbi fieri commodè poterit.* Quis id negat? nemo haud dubiè; sed retorqueo, vbi hæc cõditio reperietur, vbi coloris mutatio commodè fieri poterit, decretum tenebit? obligabit, annõ? sed amabo, ec quod incommodum in Gallijs? quænam tanta difficultas, si quisque amet obedire? Aliquibus commodè fieri non potest, & hi ergo non incurrunt inobedientiam: alijs commodissimè, & hi ergo tenentur ex obedientia: positâ enim conditione sequitur effectus.

Prou. 12.

Licet ijs qui commodè colorem mutare non potuerunt ea mutatio non sit absolute praecepta, quia deerat conditio hypotetica: ijs tamen qui commode potuerũt ob causam cõtrariam reuera iniuncta fuit et imperata.

SECTIO

SECTIO OCTAVA.

Dissolutis obiectionibus à debito fine, debitaque forma hoc decretum iustissimum esse demonstratur.

MAnet igitur Superiorem Generalem ex consensu Capituli Generalis, quâ veluti sacrâ anchorâ fulcimur, huius promulgandi decreti & potestatem habere & authoritatem. Non desit tamen aliquis qui ad authoritatem prouocans Diui Thomæ, neget hanc in Superiore leges ferendi potestatem sufficere, si id fiat contra finem legis, puta bonum commune: vel contra formam, si nimirum vel non ritè promulgetur, vel inæqualiter onera distribuantur. Hoc siquidem triplici defectu vel authoritatis, vel finis, vel formæ iniustam esse humanam legem, adeoque irritam cõcludit cũ coriphæo doctorũ turba.

Finis & forma conditiones sunt requisita vt decretum iustum sit & legitimum.

O Deus! in quæ me tempora reseruasti vt hoc viderem, vt hæc audirem? ergo tot oculi tamque perspicaces qui Capitulo Generali illuxerunt, in meridiana luce tenebris plusquam Cymmerijs circumfusi? Ergo sapientissimus Generalis, & diuturnâ rerum experientiâ nobis quoad vixit commendatissimus, in hoc vno præcepto à prudentis officio gubernatoris & nomine abiuit? ergo Religionis patres ætate graues, iudicio maturi, pietate & doctrinâ insignes, de quorũ splendidissima frequen-

tenus dubitandum, in eo namque sita est, referente Diuo Thoma ar. 4. Roderic. Suar. de Valent. & alijs, vt primo solemni more promulgetur, quod ritè factum ostendunt literæ & commissiones; secundo vt æqualiter in subditos legis onera distribuantur, nec vnius partis præiudicio, altera immerenter habeatur eximia. Verum nil tale in nostro casu reperias, decretum namque omnes complectitur, Nullus excipitur à lege, vniuersi ad griseum impelluntur, suadentur; & qui dicto obaudierunt, in griseo confirmantur, lucranturque ingens obedientiæ meritum. ex quibus certissimâ ratione cóficitur nigri coloris tincti abrogationẽ esse *iustam*, quia ab habente potestatem: *rationabilem*, quia ob bonum publicum: *vtilem* deniquè, quia cum debita forma, ac proinde validam legitimamque, nullas enim alias conditiones requirit Doctor Angel. P. Suar. lib. 6. c. 26. & alij.

Forma debita legum in hoc decreto seruata est.

Decretum de nigro colore in griseum commutando iustũ est, rationabile, vtile, ideoque legitimum & obligans, si pracisè spectetur sine modificatione.

Necdum herbam porrigit veritati, sed quærit diuerticula, negat nimirum, pernegat statutũ illud quo ab antiquo niger color permittitur, abs sede Apostolica iã olim approbatũ, potuisse rescindi. O circulos! quã iure meritò nobis vt olim Crateri dixerit Stilpo Philosophus, Δοκεῖς μοι χρεῖαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ.

Laert. li. c. 12.

Expiret leuis obiectio primo authorum omnium sententiis iugulata, quorum vna vox est in materiâ de legibus, eiusdem esse corrigere, cuius statuere: abrogare, cuius ferre: rescindere, cuius constituere; ne multa superiorem legislatorem, cuius omnis potestas in successores deriuatur, posse reuera suas ipse leges vel ampliare, vel restringere, vel

Eiusdem est legem restringere vel abrogare cuius ferre: vnde posito quod fuerit niger tinctus permissus in statutis, potuit nihilominus abrogari.

imminuere, vel omni modo tollere, *Conditor legis illam abrogare potest*, verba sunt P. Suar. lib. 6. de legib. c. 26. n. 1. *Quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur: sed voluntas & potestas legislatoris sunt principia à quibus lex pendet. Ergo per ea potest abrogari*, quin etiam planè paulò antè cap. 25. n. 10. dixerat abrogationem legis humanæ à supremo principe factam sine causâ legitimâ, validam esse, licet iniustè fiat. Demus ergo Capitulum olim generale à quo pendet supremum Ordinis moderamen, & Priorem Generalem nigrum colorem tinctum permisisse: rursusque hanc permissionem Pontificiâ authoritate firmatam, vsu & consuetudine confirmatam sesquisæculo, vt minimum, inualuisse. At quæro, si potuit niger color à capitulo generali concedi; cur non potuit ab eodem rescindi postmodum & reuocari? si quidem *per quas causas res nascuntur, per eas & dissoluuntur*. Nigrum permisit, quis primus nescio, & secundum eum reliqui Generales, cùm antea nominatim esset inhibitus, griseus verò dumtaxat iniunctus vniuersis: at griseum modo iubet, suadet, mandat, imperat Reuerendissimus P. Sebastianus Fantonus itidem Generalis, annon eiusdem est rescindere, cuius constituere? Nigri permissionem comprobat summus Pontifex; at etiam idem supremus Sacerdos non modo decretum de griseo factum in generali Capitulo approbat, vt moris est, sed insuper in hæc verba præiuit, *Cōmunem vitā victum & vestitū*. Quæ cōmunitas de colore griseo nimirum abs Illustrissimo Protectore Cardinali, abs grauissimo Patre à

Abrogatio tametsi iniusta valida est & obligat.

Generali Capitulo habetur explicata.

Dicamus ergo post Diuum Tho. 1.2.q. 97.a.1. & seq.consentiente scholâ,quanta quanta est,omnis lex humana (quæ idcirco *temporalis*, vocatur ab Augustino) interdum abrogari potest & validè & iustè. Sic passim in iure Pontificio ac Cæsareo res se habet. Sic sacra Tridenti Synodus clandestina matrimonia irrita declarauit: sic Deus ipse nostræ author fidei, veterem legem ita cancellauit, vt iam non mortua modo, sed & mortifera censeatur.

Omnis lex humana dicitur temporalis quia potest cancellari, imo & diuina per eum à quo condita est.

Hæc cùm sint ita, nemini mirûm videri debet, si noua Capituli Generalis constitutio nigro colori tincto (cuius ante copia erat) potuit derogare. Quid si negem vllam in hoc negotio abrogationem intercedere? nam si æquâ trutinâ rem velis ponderare, reperias dubio procul constitutionem illam de nigri, (si tamen de nigro artificiosè tincto sermo est) gestatione non tàm esse legem aut decretum, quàm licentiam, quàm permissionem, contra quæ existebant, iamque retuli statuta, *Nam tempori cedere, & necessitati parere semper sapientis est habitum.* Vnde confirmatio Pontificis quæ tantopere iactatur, aliud nihil est nisi permissio, quâ videtur quodammodo coloris in vestitu determinationem, in Superiorum arbitrio ac potestate per omnia relinquere: vt patet in Bulla Clementis Papæ septimi, *pro statu, &c.*

Cicer. ad Torq.

Decretum recens de assumendo griseo colore, non est cuiusque statuti abrogatio.

Iam igitur Generalis Decretum Capituli, an noua lex censenda est? an exorbitans, quod aiunt? an abrogatiua? minimè gentium. Sed correctoria

Varia legis species.

dumtaxat, vel vt loquar melius cum Roderico vbi supra, limitatoria, cuius scilicet virtute indifferens antea color ad nigrum Griseumue, priori correcto ad griseum dumtaxat restringitur, limitatur: nisi mauis quod superius monebam, nigrum quem statuta permittunt esse tantum nigrum natiuum, non verò artificiosè tinctum.

In dubijs cùm de superioris potestate non dubitatur, sed tantùm de forma aut fine legis, standum est superioris voluntati.

Vlterius progredior, etsi lex ista esset in iure ambigua, standum esset omnium suffragio, superiorum mandatis. Hic enim potestas in litem vocari non potest, quia griseus nec supra Regulam est, nec præter, nec contra: sed secundum Regulam, sed infra, sed intra dumtaxat. Atque authore Richardo de sancto Victore *debitum est quod præcipitur secundum Ordinem, indebitum quod super professionem*, constansque opinio est debere Religiosos obedire, etiam in aliquibus austerioribus, nedum in vestimento: si modo ea conferant ad puriorem perfectioremque regulæ obseruantiam; quo iure monialibus indicitur clausura cap. vnicum de statu regul. lib. 6. quæ quidem non erat de regula earum, sed solummodo castitati munimento est. Et quoties non subest dubium de potestate (vt in nostro negotio nullum est) sed tantum de fine aut formâ, standum est Superioris voluntati, quia ex iure *semper prævalet ius principalius.*

Quid debitum, quid indebitum.

Griseus color non est contra regulam, sed vel intra, vel saltem extra, non minus quā niger ideoque potest imperari.

Quandonam teneantur Religiosi obedire in arctioribus.

Viderunt superiores coloris mutationem, promouere vitæ religiosæ obseruantiam.

Jus superiorum semper debet præpondetare.

In 1. partem.

Opusc. quod Philosophus debeat cum principibus philosophari.

Sed ecce argumentum ductum à simili, senecionem puta tantæ virtutis herbam, authore Plutarcho, vt in os capræ iniecta ipsa simul cum grege illico consistat, nec vltra progredi queat. Ioannes 22. in sua declarat. fol. 16. tracta. 3. *Vestium vilita-*

Argumentum à simili.

tem in colore, & pretio formam & figuram superiorum iudicio remisit, & quod fratres sic sequendo eorum iudicium humiliter obediendo, non possunt dici neque existimari Regulæ, declarationum, vel constitutionum transgressores. Imò verò vt refert Anton. Cordub. *Super Reg. ff. Minor. c. 2. q. 22.* ex Zabarel. *super Clement. a. 4.* & Barthol. Pis. *c. 2. & specialiter ff. 10.* Ipse Ioannes 22. & Benedict. 21. in Bulla, *Redemptor noster: promulgarunt sententiam excommunicationis ipso facto, in fratres pertinaciter portantes vel affirmantes alias difformes vel dissimiles vestes, ab illis quæ per prædictos Prælatos quoad prædicta fuerunt determinatæ.* Non ludifico quemquam nec dissimulo, hic agi nominatim de Religiosis Franciscanis; in eoque prætere a rem inueniri dissimillimam, quod expresso sub pœna excommunicationis præcepto, seu mandato non fuimus ad griseum adstricti compulsiue; sed memini me dicere argumentum hic duci à simili, & eo saltem apertissimè conuinci, posse Reuerendiss. Patrem vna cum Generali Capitulo, maximè si accedat supremi authoritas Pontificis, cuius mens nobis iam obscura esse nequit; posse inquam de vestium formâ & colore iubere præcipere, & vel licentiæ veteris præiudicio noua statuta imperare.

Excommunicantur qui determinatam à superioribus inter Franciscanos vestium materiam, formam & colorem non amplexantur.

Et veró non abs re quinque memorat medicinæ peritus (vt est superior animarum) diuersa morborum remedia. Abstinentiæ nimirum, & sic nobis iam nigrum colorem interdictum putamus: diminutionis, sic imminutæ veteres si quę erant de nigro tincto permissiones; purgationis, &

Quinque morborum remedia tam in spiritu quam in corpore.
Abstinentia.
Diminutio.
Conseruatio.
Purgatio.

Licentia effrenis. conseruationis,queis nôn parum griseus deseruire color,latè infra demonstrabitur. Quinto demum loco,sinit vnumquemque suum sequi appetitum. Quo modo fatemur non esse nefas durare in nigro. Sed cautum voluimus maximè admoniti sapientis oraculo ; *ne in pigritiis humiliaretur contignatio.* Et queamdmodum qui morbo aliquo & sensus stupore hebescunt , suauitatem cibi minimè sentiunt: ita nostris ingeniis iuris sui supra modum tenacibus,fortè etiam prauo quopiam affectu corruptis, ingrata ne esset voluntas Superioris,insipida obedientiæ suauitudo : Optarunt Patres nostri in Gallia patere, quod verissimè Carmelitis adaptauit Mantuanus noster quondam Generalis,Poëta,Orator, & Theologus notæ inter antiquos illustrioris. *Sumus de filiis Rechab , de quibus Hier. cap.35. ita dicitur,pro eo quod obedistis præcepto Ionadab Patris vestri , & custodistis omnia eius mandata,& fecistis quæ præcepit vobis : non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab in æternum , stans in conspectu meo.* Hoc vnum habemus in votis morem gerere. Sinite nos esse obedientes,sinite obsequij gloriam demereri. Sinite simplices esse , vt profitemur, nec curiosius in Superiorum mandata inquirere ; vetus namque verbum est , cæcis omnia videri obscura , & vel abundantioris luminis affusione vereremur offundi.

Obedientiæ promptitudo. *Obedientiæ remuneratio.* *Eccl.10* *In Apologetico.*

Ergo certè non vsquequaquè contemnendi gregis omnium contéptissimus , veterem ex eremo Monachum primæ iuxta me ac rudioris ætatis optarim imitari. Is nimirum vnà cum sex fratrum cohorte

horte rapiebatur per ſupplicia, & mortis horrores ad martyrij palmam; atque vt iunior erat adhuc penè puer, blanda ætas tyrannum ad commiſerationem excitauit. Tentatur ergo acriùs, ſollicitatur ad eierandam fidem qua minis, qua blanditiis, qua terroribus. Tum ille animoſiùs inſurgens, *Nullus me*, inquit, *ſeparabit à meo Abbate, à meis fratribus illis conuixi, illis commoriar.* Hoc ego pariter certiſſimâ fide te abſoluo, mi Lector, *nemo me ſeparabit à meo Abbate, nemo à meis fratribus.* Nam & ſuperiorum volũtati, & fratrum quorum veneror ſanctitatem, ſalutaribus exemplis æternum adhærere ſtatutum eſt. Sumpſi iuſſus griſeum colorem, ne me diutius laceſſas, *obedientia cæca eſt*; & ſi aliquando ab obediente in non peccatis peccatur, culpæ ſumma in ſuperiorem debet refundi. Iuſſit ſuperior, obediui.

Hiſtoria iunioris Monachi.

Atenim, inquies, & tu temerè nec non inconſultè: & ille tam iniuſtè, quàm imprudenter: apage! & vide, præter ea quæ hactenus dixi, quo te crimine obſtringas. Quid aliud enim eſt quàm ſummũ Pontificem incuſare, qui hoc de griſeo colore aſſumendo decretum vel præcepit, vel poſt probauit. Immo & tuæ Maieſtati, *inuictiſſime Rex Ludouice*, iniuria non ferenda irrogatur; & vos contagio huius criminis & labes aſpergit ſecretioris ſanctiorisque Conſilij Principes, magni Logothetæ, iuris arbitri, iuſtitiæ ac Themidis oracula.

Negare factam à Carmelitis coloris mutationem iniuſtam eſſe, iniuriã eſt inferre Romano Pontifici, Regi Chriſtianiſſimo, ſanctiori conſilio, &c.

--- *Nec ſolos tangit Atridas*
Iſte dolor.


Vos nimirum legum cuſtodes, diribitores litium, purpurei Curiarum ſenatores, vos omnes in ſole

gentium positi, viri iudicio graues, doctrinâ clari, pietate conspicui, falsi estis, delusi estis, decepti estis; dum istud nostri Capituli Generalis decretum, de griseo Carmelitis assumendo colore approbastis, in Gallia confirmastis, in toto hoc regno ratum fixumque esse voluistis. Vbi vestra doctrina, si illegitimum? vbi legum sciētia, si iniustum? vbi prudentia, si importunum? vbi sanctimonia & patrij moris tenacitas, si totum à nouitate antiquitatem funditus euertit? cur hanc mutationem à nostris Aquitaniæ & Turoniæ patribus factã præclarè, pronunciastis? Cur deinde præcepta est vestris oraculis in griseo colore perseuerãtia? si regni, si religionis, si Reipublicæ pacem, si proximorum tranquillitatem perturbat, mores inquinat, leges peruertit? O vos sapientes, dum ita iudicatis! ô nos minime omnium culpandos, dum obedimus! nam & tantis ducibus iuuat peccare: iis authoribus errare, si error fuit, gloriosum.

Bardi fuerunt tot sapientissimi viri si iniquum & iniustum decretum circa hanc mutationem confirmarunt.

Atque vt primæ rationi ab obedientia validissimæ, pondus & momētum superaddat D. August. authoritas, totum grauissimâ illius sententiâ obsignabo; si ad nostrum sensum verba paululum deflectas. *Sicut videtur audacia*, inquit, epistola 64. *mutare conari, quod Carthaginensis Ecclesia tenet: sic magnæ impudentiæ est, velle seruare quæ Cartaginensis Ecclesia correxit*. Quamquam vt nobis non fuisset piaculum retinere, lenito præcepto: ita potius fuit demutasse præcepto persistente, & factam à nobis mutationem obedientiæ imperio comprobante.

Antiqua velle mutare sine autoritate audacia est: at seruare contra autoritatem impudentia.



TERTIA RATIO
VNIFORMITAS.

QVÆ videbantur præcipuam nigri coloris tincti in griseum commutationem demonstrare, pariterq; nouæ huius preceptionis potestatem stabilire, profusè perstrinximus. Nunc aliò nequit sermo deuolui, quàm in reliqua rationum momenta, quibus eiusmodi mutationẽ valdè admodum congruenter debuisse iniungi, ostensurum me promiseram. Licet enim vt diuinorum, ita eorum quæ fiunt à superioribus in religione præceptorum ratio non sit inuestiganda, vt docetur à D. Chrysost. & rectè censuerit iurisconsultus quidam, *Non omnium quæ sunt à maioribus constituta, rationem reddi posse.* Quibus ex verbis fusè docet Rodericus, *multa ordinari posse in religionum Capitulis, & definitoriis, quorum ratio sufficiens reddi nequeat, sed quæ tantum in voluntate definientium consistant.* Quando tamen ipse R. P. Generalis præiuit nobis, & vltro facti à se præcepti rationes in commissionibus exponit: nihil facturus videor alienum à religione, si pergens ex instituto in hisce rationibus palam proferendis, tantisper hęream in vniformitate, & validissimæ rationi acriùs insistam. Ratus non inutiliter, quod quemadmodum olim dissidentes pastorum animi positis rixis in mutuam amicitiã rediere, tùm cùm effosso ad ripã fluminis. *Tertio aqua viuæ puteo*, non amplius contendere

μηδέποτε τὸν θεὸν εὐθύνας τῶν γινομένων ἀπαιτῶμεν ἀλλ' ὅπερ ἂν ἐπιτάξῃ δεχώμεθα καὶ μὴ περιεργαζώμεθα μηδὲ πολυπραγμονῶμεν, κἂν ἀνθρωπίνοις λογισμοῖς ἄτοπον εἶναι δοκεῖ τὸ κελευόμενον. Homil. 2. in Epist. ad Roman. inst. moral.

L. non omnes. ff. de lege.

qq. Regular. quæst. 18.

Est hæc pars tertia diuisionis qua ostenditur ex superiorum verbis & multiplici ratione, eam coloris mutationem debuisse congruenter iniungi.

Genes. 26.

tiuum & puriſſimum colorem fuiſſet agniturus. Imo iam in Gallia qui tum diſcalceatæ Congregationis, tum reliqui quoquè ordinis viderant profeſſorem addubitabant an nos veri Carmelitæ? & ſi ita, vt eramus reuera, haud poterant ſatis intelligere, cur à toto ordine eſſemus in veſtimento diſſimiles? adeoque in multorum animis creuit ſcrupuli occaſio, vt reiecto ſcapulari nigro tamquam adulterino non alium quàm Griſeum portandum exiſtimarent ex quo pro hominum imbecillitate, plurimæ difficultates exortæ.

Ration. 1. ſect. 4. & 6. Sed nec licuit nobis eâ tincturâ *à maiori ordinis parte*, vt pronuntiat Reuerendiſſimus P. Generalis, ſegregatis: non inquam nobis tunc licuit vſurpare, quod de ſuis olim religioſis dicebat magnus ille Baſilius, *Communem omnium noſtrum inter nos in veſtitu ornatum intercedere, veluti inſignem quandam ac peculiarem ex ipſo habitu etiam homini impreſſam notam. Quæ enim ad vnum & eundem finem ſpectant, illa vt plurimum conueniunt.* Rem enim dicamus bonâ fide, vbi erit *communis ille ornatus*? ſi diuerſus, *vbi inſignis ac peculiaris nota*? ſi varians & à ſeipſâ diſcrepans. Hic nigra eſt veſtis, illic griſea, hic tincta artificioſius, illic nuda omni effucato colore? Quod ſi omnis nota diſtinctionis in agentibus per intellectum eſt vt ſecernantur alij ab alijs, cur nos ſecernemur, quibus debet eſſe *cor vnum & anima vna*?

ἐκ δὲ τούτου συμβαίνειν ἡμᾶς καὶ τῷ σχήματι κοινωνεῖν ἀλλήλοις καὶ οἱονεὶ χαρακτῆρα τινὰ διάζοντα καὶ ἐκ τοῦ ἐνδύματος τῷ χριστιανῷ ἐπικεῖσθαι τὰ γὰρ πρὸς ἕνα σκοπὸν συντείνοντα πολλὰ ταῦτα ἐστὶν ἀλλήλοις c. 22. Regul. fuſ.

Cur inter religioſos eiuſdẽ profeſſionis debeat eſſe veſtis ſimilitudo.

Quando debeat eſſe diſtinctio inter aliqua.

Act. 4. cap.

Cuncti gens vna ſumus.

Claudian. 3. de laudib. ſtilicon

Quorſum hæc nota dictinſtionis in veſtibus, inter eos qui eadem vota profitentur? eandem regulam amplectuntur? eadem colunt exercitia virtutum?

Ex quo manifestum fit, *hanc nouitatem* reuera *non esse nouitatem, sed meram antiquitatem*; hanc demutationem non tam esse à partibus diuisionem, quàm vnionem cum toto. Quidni enim de veste dicemus & habitu, quod de loco Aristoteles, *Eundem esse habitum totius & partis*? neque demum vllam arguere à membris separationem, quin potius commissuram copulamue cum reliqua corporis compage, cum capitis honore coniunctionem.

Hac mutatio coloris non est ruina, sed ædificatio: non est factio, sed adunatio, non est diuortium sed amicitia coniunctio.

4. Phyficor.

Et hoc vidit eâ mentis acie quâ cætera Sapientissimus Generalis, dum in Scriptis omnes & singulos animitùs exhortatur. *Ad laudabilem Ordinis nostri consuetudinem in hac conformitate* CVM RELIGIONIS CAPITE *obseruandam*. Egregium scilicet effatum! nec Beato Paulo duntaxat, verum Ethnico etiam Ciceroni notissimum, *Quod sunt inter se membra, hoc nos quisque alteri, atque omnibus omnes*; dummodò vniuersi cum capite eminentissimo membro cohæreamus. Ridiculum quid! in aliquo corpore indiuiduo membrum viridi colore, aliud nigro aut flauo, aliud albo purpureove deformari. Annon tunc verissimè diceretur?

Sumus inuicem membra Ephesior. cap. 4. & 5.

Orat. 16.

In eodem corpore ridicula esset & fatua diuersitas colorum.

In toto nusquam corpore corpus erat.

Æquum & pulchrum, est inquit Reuerendissimus Pater Generalis, *tam Clericos, quàm Laicos, seu Conuersos, præfatam vestimentorum rationem amplecti, tam quoad modum & formam, quàm colorem griseum*. Præclara verò vox & Superiore digna! cum enim *pulchritudo proportio sit inter membra media & extrema*, quæ tandē relinquitur in nostro corpore pulchritudo? quæ in ordine species? si & partes, à toto; & membra, à capite, ipsaque inter se nullā seruant in

Quid sit pulchritudo.

Arist. 7. Physic.

colore conuenientiam, nullam in veſtibus proportionem? Iam deinde ſi Boetij teſtimonio, *Illa quæ collocantur ſub genere, recipiunt nomen, & differentiam generu*; quis ſanæ mentis neget nos ſub eodem genere collocatos, vt idem Carmelitarum nomen, ita & differentiam eandem in veſtibus Carmelini coloris debere retinere? *fieri non poteſt*, inquit Arnobius, *vt quod eſt vnum fiat duo*, quî ergo fieri poterit, vt nos qui coniungimur in vita & victu, in ſolo veſtitu ſuperuacaneâ diuerſitate ſeiungamur?

Lib de diuiſione.

Quæ ſunt eiuſdem generis eandē ſortiuntur differentiam.

Lib. 4. contra gentes.

Vnitas diuidi non poteſt.

Non ergo iam amplius in his Ciſalpinis regionibus pro inæquali veſtium colore, moueri debet vlla ſeditio; quin potius in eundem griſeum colorem vniuerſi dum conſpiramus ſimiles erimus cum toto, æquales cum corpore: hocque pacto corpora identitate veſtium, corda firmiſsimo animorum glutino fœliciter coniungentur, ſic vt in poſterū *vnā faciemus vtrāque noſtris animis*, addo & veſtimētis, ordinis rēpublicam ſiue cōmunitatem.

Vbique pro inæquali fit ſeditio. Ariſt. lib. 5. politic.

Lib. 3. Æneid.

Nam *quietem in æqualitate, motum in inæqualitate conſtituimus*, aiebat Plato in Timæo: quod ſi diuiſio quædam nonnullorum oculis videtur, nos à paucioribus, qui nigrum iuſto prætextu putant retinendum, colore ſeparari; quanta maior diuiſio, quantum minus ferendum ſchiſma ab Hiſpanis, ab Italis, à corpore, à capite, à Generali, à potioribus Ordinis membris, ab eminentiſsimis noſtræ religionis partibus diuidi ac ſeparari? vbi præſertim de Superiorū volūtate iā nequaquā fas eſt dubitare. Dabo amplius, & quod magis faciat opinionem; ſi ſuam expreſsis verbis mentē nobis non aperuiſſet Reuerendiſsimus P. ſolum ipſius exemplū normā

Æqualitas & inæqualitas.

Si obediamus vniuerſi nulla ſupererit diſtinctio aut diuiſio.

cunctis, ac legem debuisset imponere. *Nam quid faciendum sit a faciente discendum est. Imo hæc conditio superiorum est*, ait Quintilianus, *vt quidquid faciant præcepisse videantur*. Cesset ergo præceptum à Reuerendissimo Patre iniunctum, nullæ sint illius commissiones, suasiones nullæ, nullæ exhortationes; manet Superioris exemplum quem nemo nescit griseo conuestiri; exemplum dico omni præcepto, commissione omni, omni suasione & exhortatione validius, potentius, efficacius. Scilicet

Seneca Epist. 99. Declamat. 19.

Exemplum R. P. Generalis qui ab omni tempore griseo vestitur.

---In *Vulgus manant exempla regentum.*

Claudian. l. 1. de laudib. Stilic.

Prophana nimirum apud gentiles superstitio Palladem pacis & armorum deam, triplici in veste aureo, purpureo, & cælesti colore variegantem summâ veneratione colere. Mõstrum horremus quod æui fabricauit corruptela, omen auersamur; & meliori disciplinâ imbuti, procul ab omni superstitione, procul à leuitate animi, vestis & corporis vnã, non diuisam; similem nõ multiplici varietate crispantem: eandem, non inaniter diuisam nostram spartam, Carmelitarum religionem colere studemus ac venerari.

Pallas tricolor

Inde adeo licet nobis rationum præsidia prorsus nulla suppeterent, satis vtiquè roboris & firmamenti in aliorum exemplis collocatum putaremus? Lustra enim amabo Ecclesiam vniuersam, perlustra quotquot in ecclesia florent religiosorum ordines; annon vbiquè passim hæc in vestimentis collucet vniformitas? Annon omnes ex æquo varietatem colorum in eodem statu, ordine & gradu summè auersantur? Lateranense Concilium

Aliorũ exempla.

Concilium ſacro Cardinalium Collegio purpureum colorem, ceu notam & dignitatis caracterẽ deputauit; inſpice in Romana curia magnos illos Senatores,purpuratos haud dubiè proſpicies. RR. Epiſcopis niger violaceuſue color proprius iã eſt, nec videbis alio conueſtiri: imo & communi olim voce Siſimus cæteroquin probatiſſimæ vitæ Epiſcopus,in ora vulgi fabulaſque venit & commata,quod candidis veſtibus ſemper indueretur. S. Dominicus ſuis diſcipulis Album colorem imperauit,quem Dominicanum vidiſti vnquam quin veſtiretur albo colore?ſi alio tectum vides, & Dominicanum negas.

Cardinales. *Epiſcopi.* Nicephor. l. 12. cap. 31. *Dominicani.*

Alios pleroſque omnes præterit calamus, quia mens cogitare poterit: & animum ad ſe vocat meum iam ſupra relatum Alexandri Quarti ſummi Pontificis diploma, quo Auguſtinianis patribus nigrum in cucullis expreſſè colorem decernit, & decreti rationem omninò in rem noſtram ſic allegat, *ne identitas veſtium in ordinibus ipſis confuſionẽ pareret, ac inde ſcandala grauiora conſurgerent.* Ergo ex mente Pontificis in diuerſis ordinibus veſtium debet eſſe diuerſitas,non identitas;ſed quo pacto fieri id poteſt,niſi ordinis cuiuſque vniformitate? & quomodo rectè notari poterit ab aliis ordinibus diuerſitas, niſi prius ſit in quolibet ordine identitas? quomodo enim ſi nigro tincto veſtimur erimus Carmelitæ,vndequaquè cum ſeruitarum religione veſtibus conformes? cum præſertim hactenus Cappam albam deferre non apud omnes eſſet cõſuetudo. Rurſus ſi hæc identitas ordines conſti-

Diuerſitas veſtium notat diuerſitatem Religionum.

tuit alios ab alijs disparatos, certè cum ordinis vnitate, non satis concinnè poterit cohærere vestis & coloris diuersitas & omnimoda dissimilitudo. Sumus omnes vnius matris filij, Quorsum ergo stemmatis ijsdem, & colorum insignibus vt pote omnes legitimi, non decorabimur? fœtus censeretur abortiuus & *indigni ominis*, si mater vna filios procrearet vultu, specie, membris, colore diuersos: Et hoc ipsum attigit Reuerendissimus Pater in confirmatione R. Patris Matthæi Pinault Prouincialis electi, *Quoad vestimenta fratrum gratißimũ mihi erit, si vt sumus vnius matris filij, ita & in externa apparẽtia vniformes à cæteris distinguamur, & cognoscamur.*

Nec putes à me idcirco iniuriam iis irrogari, qui iam ante multos annos in hisce prouinciis nigro induti fuere. superiùs monui seriò, iterumque repeto & temporum iniquitatem multum Religionibus afferre detrimenti, & sapiẽtis esse viri officium, vt tempori seruiat ac necessitati; quo pacto ostendebam nigri tincti vestimenta per cẽtum & quinquaginta fortè annos aut amplius fuisse tolerata, & vsque in diem hodiernum nobis etiàm permitti si (non absolutè cogentibus superioribus) renuissemus commutare: sed potius fuit nutus & superiorum voluntatem amplecti: vnde non immeritò dixerim pro iis qui à nigro desciuerunt.

Quia superiores non absolutè coegerunt, potest niger color retineri, sed debet à fortiori Griseum assumi.

---Deum præcepta secuti Virg 4. Georg.
Venimus huc, lapsis quæsitum oracula rebus.

Cert è enim hoc fælici æuo quo
--Deus nobis hæc otia fecit. Virgil. Eclo. 1.

Necesse visũ est & è Religionis totius emolumẽto, *contraria contrarijs curando*, griseum pro nigro iubẽ-

tibus ſuperioribus colorem eligere, quo deinceps *ſimilia ſimilibus*, ordinis nimirum vniformitas griſeo colore in annos ſæculares, cum perpetuo pietatis vigore conſeruarentur.

Contraria cõtrarijs curãtur; ſimilia ſimilibus conſeruantur Hyeron. Montuus Medicus.

Et hæc in cæteris cauſa debuit eſſe non vltima quæ, ſi quidquam ſcio, Patres noſtros ad griſeum in veſtibus Carmelinumue colorem poſtliminio aſſumendum impulerit. Nec enim, vt coniicio, accedente Decreti Generalis authoritate ſua voluerũt eſſe ingenia eiuſdem coloris cum nigris veſtibus, quibus videlicet ea eſſe natura comperitur, vt nullum vnquam alium admittant colorem; imo putarim ego de hominum iudicijs vt in nigrum griſeumue colorem æquiſsimè propendeant, veriſsimum eſſe quod non longè à propoſito pronuntiauit Ariſtoteles, *Oportet ſuſceptiuum coloris eſſe ſine colore*; Et dum iſta ſecretiori mecũ cogitatione reuoluo, decorum vtiquè arbitratus ſum, ſi vt olim Chriſti Saluatoris tunica, vna eadem, inconſutilis commendabatur: ſimili quoque modo ſanctiſsimæ Chriſti-paræ veſtis, habitus ſcilicet, quem tantæ Patronæ beneficio accepiſſe gloriamur, vnus eſſet, non colore diuiſus: idem, non à ſeipſo diuerſus: inconſutilis, nulla varietate diſſectus, & à ſeipſo diſsimilis; maximè cum vel in ipſa natura elementa, metalla, flores, arbores, & cætera omnia ſub eadem ſpecie comprehenſa, eodem colore, folijs omnino ſimilibus, pari per omnia ornamento condecorentur. Memineră dudũ in veteri olim lege, veſtimentum Iſraelitis ex lana linoque contextum prohiberi à Deo; & illico nõ potui non

Niger color nullam aliam tincturam admittit.

Li. 2. de anima.

Virginis tunica vt Chriſti debet eſſe vna.

Non indueris veſtimẽto quod ex lana linoque contextum eſt, Deut. c. 22.

Veste quæ ex duobus texta est non indueris. Leuit.19.

dolere, sacram Carmelitarum vestem hinc nigro, hinc griseo, hinc pretioso, hinc vili sic quasi lino lanâque, nempe diuersissimis coloribus pannisque deformari. Quid quod etiam non frustra omninò aut inâniter timui à iudicijs tuis Deus meus, dum meis auribus intonat minax & propheticus sermo, *Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrinâ.* Soph. cap.18. Sed nouæ spei radius affulgens, erigit mentem animumque recreat meum, quî tandem? omninò *vt solet affuso surgere flamma mero.* Video namque hac ipsa tempestate, & superiores commendare sapiẽter, & inferiores perquam libenter amplecti vnam & eandem vestium in Carmelino colore, *vniformitatem.*



QVARTA RATIO POENITENTIA.

NATIVI è lana coloris vestes, non frustra pœnitentiam, carnisque mortificationem adiuuare, nos exemplis docuerunt Helias Monastici princeps instituti, qui sub finem mundi Christi Iudicis præcessurus aduentum, non molli, non tinctâ, non ementitis coloribus imbutâ veste describitur in Apocalypsi; sed cum altero muneris socio *sacco amictus*; Melota nimirũ ex pilis Animalium contexta: cuius tunicæ asperitatem *pœnitentiæ nomine susceptam ab Elia*, docuit supra Salianus. Et ipse videre mihi videor tanti ducis signa faciliùs sequi eos, qui eius pœnitentiam rudi & asperâ veste, pro sæculi genio conantur imitari. Hoc ipsum S. Edmundus Cantuariensis Episcopus, qui Sacerdos in famosissima Parisiensi Academia dum ageret, non nigrâ tinctâ veste licet honestiori, vt cæteri clericorum, sed griseâ, è lanâ vtiquè natiuâ mortificationis ergo, & causâ pœnitentiæ amabat conuestiri. Simile videas apud Surium de Cuthberto Abbate enarrari: scilicet austeritatis amantissimus vili admodum veste & aspera vtebatur; *Vnde*, inquit Autor, *vsque hodie in eodem monasterio exemplo eius obseruatur, ne quis varij aut preciosi coloris habeat indumentum, sed eâ maximè specie vestium sunt contenti,*

Natiua lana sine tinctura pœnitentiæ deseruit.

Apoc. cap. 11.

S. Edmundus grisea veste vtebatur.

In vita die 16. Nou.

in vita.

Monachi exemplo Cuthberti Abbatis naturali solùm lana induuntur.

quam NATVRALIS OVIVM LANA MINISTRAT.

Neque viri modo, verùm & ipsæ etiam mulieres sanctæ, id vestimenti genus pœnitentiæ nomine gestauerunt. Nam & de Beata Maria Oegniacensi opulenta matrona hæc refert Iacobus de Vitriaco, *tunicam habuit laneam coloris albi, & eiusdem coloris pallium simplex: non ignorans primos parentes nostros post ruinam, à Domino cum nudi essent, non vestibus pretiosis vel multa arte tinctis, sed tunicis pelliceis indutos fuisse.* Atque ea propter quanto minus Religiosæ vestes pretiosi habent artificij, tanto certè magis prima hominum vestimenta in memoriam reducunt: eoque pacto salubres animis ingenerant pœnitentiæ sensus, quibus in hoc miseriarum exilio nos à patria extorres, vitam viuere ærumnosam lamentamur. Nemo saltem est omnium qui non de facili mecum sentiat, natiuæ lanæ horrorem longiùs abesse ab ea omni mollitie, quam multo cum felle, sed vero prouocatus zelo in suis fratribus reprehendit D. Bernardus, *Quæritur ad induendum non quod vilius, sed quod subtilius inueniatur: non quod frigus repellat, sed quod superbire conpellat: non denique iuxta Regulam, quod vilius cõparari potest, sed quod venustiùs, immo vaniùs ostentari potest.* Et rursus: *Mollia*, inquit, *indumenta, animi mollitiem indicant. Non decent eos qui ad desertum claustri confugerunt mollia indumenta: qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Eiusdem commatis sunt, quæ in illud Math. 3. *Ipse Ioannes habebat vestimenta de pilis Camelorum*, apponit Glossa: *Seruus Dei non debet habere vestimentum ad decorem vel ad delectationem, sed tantum ad tegendum nudita-*

Etiam mulieres lana indutæ.

B. Maria Oegniacensis.

Contra luxum vestimentorum.

Quale debet esse vestimentum serui Dei.

In vita per Iacob. de Vitriaco.

In Apologia aduersus Guillel Abbatem.

tem. Quis porrò credat monasticam pietatem, quæ nonnisi crudo vitæ robore sustinetur, in tenella veste, vel (si cum æuo labascat pietas) ad delicias inuitante, melius quàm in rudi & aspera posse conseruari. Credam ego de vestibus quod olim de agris sapienter dictum est à Cyro Imperatore, ex eadem terra nunquam gigni delicatos fructus, & bellicosos Duces: illi namque in molli solo, isti in spinoso & inæquali procreantur: non secus virtus pœnitentiæ per quàm rarò inter delicatas vestes enascitur, meliùs in rudi & neglecto panno gignitur, nutritur, augetur.

Cyri Regis præclarum Apophthegma.

In Apophtegm.

Esto igitur verissimum vestis Religiosæ lineamentum horror, & austeritas, pœnitentiæ luctusque conciliatio. Quod si in cęteris natiuæ & rudis lanæ vestes, spreto colorum luxu etiam eius quem nigror inficit, pœnitentiæ signum est, & mortificationis argumentum, vt nos multorum docuerunt exempla; quidni dixerim audacter, debuisse Patres nostros pristinum instituti vestimētum, *natiuum*, inquam, *in lana colorem nigrum*, summo studio reuocare? siquidem in eo melius durat, STVDIVM POENITENTIÆ ET AMOR.

QVINTA RATIO SIMPLICITAS.

PRæCLARE vt cætera omnia, magnum Ecclesiæ lumen D. Augustinus, *ſimplicitatem, Dei veſtigium eſſe pronunciauit.* Quod quàm verum ſit in hominum Angelorumque mentibus, imò & in corporibus quæ viſuntur in hac vniuerſa rerum immenſitate, parco iam recẽſere, vt dicam cum Arnobio, *Nunquam veritatem ſectari fucum, quando naturalis veritati tinctura ſufficit.* Inde adeò verum eſt etiam in veſtibus Chriſtianos, maximè verò Religioſos, & in Religioſis Carmelitas ſimplicitatem debere conſectari. Turpiter namque aberraret quiſquis reputarit apud ſe, nobis vt olim Ægyptiis puram ac ſimpliciem lanam prophanam haberi: quin potius è diuerſo, quemadmodum in reliquis artifex qui poteſt aſſimilare ſe naturæ, cenſetur excellentior; ita in veſtibus citra opificum induſtriam natiuum colorem aſſumere, perfectum opus prudens iudex exiſtimabit.

Simplicitas Dei veſtigium.

Lib. de vera Relig. cap. 31.

Lib. 1. contra gentes.

Veritas non amat fucos & colores.

Ars quo propius naturam imitatur eo perfectior eſt.

Commentat. lib. de ſenſ. & ſenſ.

Laudent ſanè Medici in cibis ſimplicitatem, & eorum varietatem ſtomachum lædere, cruditatem iactent ingenerare; ego certè commendabo in veſtimentis ſimplicitatem, neque dubitabo vllatenus palam aſſerere, eam longiùs abeſſe ab inanitate & contagione luxûs ſæcularis. Sed fidẽtiùs quoque

Ciborum ſimplicitas.

que loquetur Afer ille Tertullianus, cuius verba, quã uis in diuersâ materiâ, non omninò ineptè in hũc possent locũ reuocari. *Non placet Deo quod non produxit, nisi si non potuit purpureas & arinas* (id est virides) *oues nasci iubere: si potuit, ergo iã noluit: quod Deus noluit, vtiquè non licet.* Quibus innuit colorem à naturâ & autore naturæ, omnibus artificiis præferẽdũ.

Argumentatur Tertull. non debere homines vestes artificio coloratas gestare, neque enim sapientiores sunt Deo, qui cum potuerit, noluit tamen oues rubras, virides, croceas producere. lib. de habitu mulierum.

Nolim tamen sic esse acerbus, aut ita mihi in hâc veste placere, vt quasi in sinu ridens, aliàs etiam in Religiosis decenter coloratas præsumam inaniter subsannare. Scio natiuum colorem aut ab arte inductum parum admodum, imo planè nihil conferre ad sanctitatem Religiosi, si intus mens sit vacua virtute, vt mox ostendam; sed profectò non possum non laudare cum Clemente Alexandrino Cæum Sophistam, qui virtutis *simulachrum seu imaginem describit purâ & simplici veste indutam, sine fuco & fumo, contra verò statuam improbitatis aduentitiâ tincturâ imbutam, adeoque exultantem alieno colore.* Quid? iure laudarit Concilium Gangrense in Clericis etiam sæcularibus *ornatum infricatum*, id est, interprete Petro Bellonio, colore non effucatum; & verebor laudare in Religiosis Ordinis nostri viris, quod illis cum aliis ferè vniuersis commune est, purum colorem, natiuum cultum, ornatum infricatum Qui officinæ colores nesciat; vno verbo simplicitatem vestimenti, quæ plerumque interioris in mente simplicitatis indicium est? Imo verò dicamus, Carmelitarum proprias vestes, haud secus atque ignem in proprio loco, in vsu sci-

Virtutis imago natiuo colore induitur cõtra improbitatis tincto & effucato apud Clement. Alexandr. lib. 3. pædag. cap. 10.

Æconom. Canon Classe 1 §. 4.

Omnes pene Religiosi natiuis lanis & non artificialiter coloratis in tunicis vtuntur.

Ignis in proprio loco non habet tincturam. Aristot. lib. 1. Meteor.

licet maiorum & priscâ Eremi simplicitate, esse reuerâ sine colore. Hinc verò vt pusiones dum adhuc lactant, innocentissimo sensu decepti nutricem genitricem esse cogitant: mox tamen vt annis ingenioque adolescunt, spretâ illâ, Germanam Matrem vtiquè agnoscunt, appellant, amplexantur: prorsus ego, dum iubente obedientiâ resipui tandem, reiecto colore nigro tincto cui eram enutritus, verum proprium, & natiuum colorem quæsiui, agnoui, auidissimè à mea genuina matre oblatum recepi; vnde & in posterum è nostris dicere quisque poterit.

Similitudo.


Non est lana mihi mendax, non vtor aheno,
Si placeant Tyriæ me mea tinxit ouis.

Iuuenal. Satyr. 1.



SEXTA RATIO

PAVPERTAS.



PAVPERTATIS AMOR, validissima ratio, quæ passim impulit antiquos Patres, vt multa de tantæ nec vnquam satis laudatæ virtutis laudibus egregiè conscriberent: Ordinum institutores seu Patriarchas, multa in suis præscriberent constitutionibus: Monachos & suæ memores professionis Religiosos, vt patrarent multa partim admiratione tantum, partim etiam imitatione dignissima. Diuo Benedicto magno illi Religionis in Occidente propagatori, quid causæ fuit vt in regulis prohiberet

Cap. 55. expresse, *Ne Monachi causentur de vestimentorum colore aut grossitudine, sed quales inueniri possunt in Prouincia quâ degunt, aut quod vilius comparari potest?* PAVPERTAS. Nam & eum locum ita

Paupertas in Religiosis vestibus seruanda.

tractat. 12. in cap. 55. Reg. enarrat Cardinalis de Turrecremata. *Non causentur Monachi, id est murmurent aut quæstiones faciant conquerentes si non splendidus aut speciosus sit, vel si est vilis, humilis, aut abiectus: de colore autem aut grossitudine discipulus huius scholæ minimè causari debet, quem iam mundò mortuum esse oportet secundum illud Apostoli; mortui estis,*

Contra murmurantes de grossitudine & vilitate indumenti.

cap. 30. Epist. ad Coloss.

& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: & paulò post, *de colore non causentur monachi, non est intelligendum quod omnibus coloribus liceat illis vti, (cùm etiam sæcularibus clericis sint quidam interdicti) sed accipiendum est sic, quod non causentur inter tres colores permissos, videlicet brunum, nigrum & album;* Quin immo ipse Beatus Benedictus harum omnium *Considerationem*, id est determinationem penes Abbatem reliquit.

Abbas debet determinare de vestium colore.

Quid Hugonem à sancto Victore induxit, vt diceret, *debent amatores Religionis opere demonstrare, quantum ipsi terrena despiciant, nec carnem quæ moritura est cultu superstitioso excolere, sed pompæ indumentorum morum ornamenta anteferre. Vestimenta plus vilia, quàm pretiosa: plus grossa, quàm subtilia; plus aspera, quàm mollia: plus fusca, quàm nitida; plus neglecta quàm accuratè composita vel adoptata amare?* PAVPERTATIS AMOR. Quid Beatum Franciscum vt iuberet, *Fratres omnes vestimentis vilibus indui, & posse ea repetiare de saccis & aliis petiis?* PAVPERTATIS AMOR. Quid olim Beatum Ioannem Soreth, egregium Ordinis nostri reformatorem? immo & hoc nostro æuo reformatricem laudatissimam sanctam Theresiam, vt abiectis vestibus quouis fuco tinctis, tunicis laceris & miserè interpolatis gauderent? PAVPERTATIS AMOR. Quid tandem Reuerendissimos Patres Carmelitici ordinis moderatores non ita pridem in Capitulo Generali cógregatos impulit, vt cómuni

De instit. Monachor. c. 11.

Religiosa vestis quenam esse debeat.

Cap. 1. Regul.

B. Soreth & S. Theresia vili veste vtebantur.

omnium suffragio griseum in vestibus colorem abrogato nigro suaderent, iuberent, imperarent? quid inferiores in Turoniæ, Aquitaniæ, cæterisque Prouincijs, vt libenti animo posito nigro cui quocumque tandem modo assueuerant, ad griseum hunc Carmelinum conuolarent? *Paupertatis amor.*

Opulenta nimirum ratio PAVPERTAS. Nam Beati gentium Apostoli Placitum est, & cunctis Religiosis dum suum Timotheum affatur præclarissimum documentum, *habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus.* Quod documentum pulcherrimis verbis interpretatur autor operis imperfecti in Matthæum, *ad speciem visionis habere vestimentum seruis Dei non conuenit: similiter ad delectationem corporis, Deo seruientibus non est aptum, sed tantum ad tegumentum nuditatis.* Quorsum ergo griseis intinctis vestibus non erimus contenti, si æquè (nisi etiam melius) nostris membris operimento sunt & integumento, quàm alia quælibet vestis opificum industria ascititio colore imbuta? quotus enim quisque in luce gentium positus non videt vel hoc meridiano sole clarius, Pannum nullo pretioso colore imbutum vilius emi, ideoque propiùs imitari Paupertatem?

Epist. 1. cap. 6.

Quæ sit vestis necessitas.

Homil. 3.

Non tantum ad curam corporis quantum ad vitæ formulam congruens Cassian lib. 1. institut.

Non dicam nullos in Ecclesia præsertim ex mendicantibus Religiosos existere, qui effucatis intra vestibus conuestiantur. Cùm & Augustinianos, & Dominicanos albo natiuo, & Franciscanos siue Capucinos, siue Recolectos, siue aliosquoscumq; rudi panno Leucophæo seu griseo natiuo albican-

Aliorum exemplum.

te, nunquã vnquam tincto vbiuis terrarum indutos aspiciant vniuersi. sed quod magis premit, exẽplum est magni Christi Præcursoris D. Ioannis Baptistæ, quem vtriusque testamenti *limitem* sapienter appellat Tertullianus; is nimirum vel ex sacro Euangelij textu, *vestimentum habebat de Pilis Camelorum*, coloris scilicet Camelini, cui cum recurrit omnino noster Carmelinus. Atque huius paupertas vestimenti tanta fuit, vt non modo Iudæos rapuerit in admirationem, & ad pœnitentiæ salutares cogitatus impulerit, verum etiam ab ipsomet Christo æterno Dei filio meruerit collaudari. *Quid existis videre; hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa & delicijs, in domibus regum sunt*. Carmelitis igitur placere plurimum debet griseus hic paupertatis amicus color, quandoquidem nos isto saltem nomine beato Præcursori simillimos efficit, qui quidem Diuo Ambrosio, *Monasticæ vitæ Eremiticæ ab Helia institutæ cultor eximius* nuncupatur, vt latiùs declarat Carthagena cap. 11. tract. 2. de sacra antiquit. Carmelit.

S. Ioannis Baptistæ.

Lib. 4. contra Marcion.

Matth. cap. 3.

Matth. cap. 11.

In Epist. ad Vercellenses. cap. 14.

Immo verò Christum ipsum morum ac vitæ exemplar, grisei huius coloris pauperies & abiectio non parum videtur imitari; quippe rex gloriæ veniens in mundum humili sacco nostræ mortalitatis suam celans diuinitatem, vilissimis indumentis & à pauperrima matre è simplici lanâ confectis, humanis se obtutibus præbuit conspiciendum, vt esset etiã imitationi. Quocirca non ineruditè Christo aptauit Humbertus magnæ pietatis homo, verba illa psalmographi *Cõscidisti saccum meum*, qui

Christi exemplum.

In specul. Religios. 2. part. c. 2.

idem author in rem nostram vsque obseruat, cum Deus spiritum pretiosum vili carne induerit, verisimile esse quod carnem vilem pretiosis indui noluerit. Vt taceam iam olim authorem naturæ Deum, nuda protoparentum corpora (quorum culpa vestimentorum necessitas, vna cum peccati labe ad posteros dimanauit) non pretiosè tinctis vestibus, sed natiuis, sed abiectis, sed pauperibus pelliceis contexisse.

Neque verò alienum puto à Carmelitis: quin potius proprium maximè monitum sancti Ephrem notatu dignissimum, monachum his verbis alloquentis, *Noli splendido vestium ornatu gloriari, memor quomodo ouinis pellibus indutus fuerit Helias*, ad quorum certè vestimentorum paupertatem nostras vestes natiuas sine fuco, magis multò accedere nemo benè oculatus negabit. itaque nobis deinceps maximè conueniet quod legi in vita sancti Augustini perhibet Humbertus qui supra relatus, *Vestimenta eius & calceamenta nec nitida nimium, nec abiecta plurimum*: COLOR NATVRALIS VIDETVR CONGRVERE VIRIS RELIGIOSIS. Iam enim præmisi debere Carmelitas mundiciem cum paupertate colere in vestimentis, & vtriusque mixturam consectari. quod vtrumque Religioni bonum griseo isto seu nigro natiuo, longè potius quàm tincto constat procurari, nam si ex diui sententia Basilij, *In veste comparanda rationem imprimis constare oportet vtilitatis*. Vidi ego non magnæ ætatis aut

In illud attende tibi.

Exemplum Eliæ.

Vestimenta D. Augustini.

cap. 11. Reg. fus.

Quid attendendum in veste comparanda.

experientiæ homo, veſtes è nigro panno tinctas artificioſè dimidio ferè cariùs emi, quàm griſeas; & longè minus in vſu & quotidianis laboribus durare, quibus ex Regula vacare præcipimur.

De cætero nemo non poteſt experimento didiciſſe, nigram hanc ab opificio tincturam, dum primo quoque tempore ſeſe exonerat, & Cappas in veſtibus, & in Eccleſiæ ornamentis albas, cæterumque Religionis cultum fece abundantiori inficere ác deturpare, ex quo fit vt non raró ipſe pannus in totum artificioſo tincturæ igne exuſtus, omni deformitate deformior relinquatur. itaque turpiſſima veſtium diuerſitas in eadem familia appareat; cùm hic nigró pretioſo, ille vili & abiecto: iſte benè tincto, alter exuſto, rubeſcente, pallido, ſubpallido, albicante, flaueſcente indutus ſit. Denique in vno colore tincto, tot ſint colores quot veſtes. Quæ omnia haud quaquam contemnenda in Religione incommoda, vno colore griſeo facillimè poſſunt deuitari. Nam nec ſenſualitas in mollioribus oculi poteſt, nec nimiæ ſordes commaculare, nec manifeſta diuerſitas notari. Demum cùm in hac demutatione coloris, non tolerabilis parſimoniæ; ſed laudandæ *paupertatis* habeatur ratio: & nemo regioſus non teneatur ijs ex animo adhærere, quæ perfectiorem etiam iuuant votorum obſeruantiam, iuxta ſaltem Regulæ præceptiones, reſtat factæ à noſtris patribus in veſtium colore demutationis efficaciſſima ratio, AMOR PAVPERTATIS.

SEPTIMA

SEPTIMA RATIO HVMILITAS.

PAupertatis indiuidua comes HVMILITAS, si modo non tam à necessitate, quã à vera virtute proficiscatur. Hinc auctor nescio quis apud Euripidem poëtam tragicum dixit certissimâ fide. *Humilitas paupertati annexa est.*

Facile ô Gorgia contemnitur pauper.

Et hæc opinor causa fuit, cur ab omni æuo Carmelitici fundatores instituti ac propagatores exemplo nos vtique docuerunt, quod deinceps verbo tradidit sanctus Ephrem, *Non attendamus venustati vestium, aut cucullæ cincturæue, aut donec ab obedientia commendetur: quin potius humilia consectemur, & ab inani gloria remota, sicut decet Sanctos.* Sic Helias primus Ordinis Patriarcha, eiusque successores filij Prophetarum, vilissimo indumenti genere, cilicijs, caprinis pellibus, & procul ab omni luxus vmbra, animantium exuuijs suam tegebant nuditatem. *Sicut decet Sanctos.* sic olim in nostro Ordine sanctum Albertum refert Surius vestes viles & asperas ferre solitum: nempe cupidus humilitatis deamabat plurimum, VILISSIMA INDVMENTA, ET AB INANI GLORIA REMOTA SICVT DECET SANCTOS.

Cap. 1. in illud attend. *Humilitas in vestib' deamanda.* *S. Helias & discipuli.* In vita 7. Augusti. *S. Albertus Carmelita.*

B. Ioannes Soreth.

Sic beatus Ioannes Soreth nostri Ordinis Generalis, quem è suis molliùs vestitum aliquando intuebatur, grauissimè obiurgauit: obijciens *in molli & splendida veste superbiā triumphare*; ac licet (*ne bonus medicus, sed malâ ratione curās* videretur) vestes è panno nigro sæculi deprauationi fortè permiserit: quotquot tamen melioris obseruantiæ legibus exercitos, ad altius perfectioris vitæ fastigium promouebat: griseo tantum natiuo, citra tincturæ speciem, expresso statuto iussit conuestiri. Quid ita? nempe suos volebat vel in vestimentis consectari HVMILITATEM, ET AB INANI GLORIA REMOTA INDVMENTA SICVT DECET SANCTOS. Neque hoc æuo alia potentior quam humilitatis consideratio, nostros patres ad vestium commutationem mihi videtur induxisse. Stat enim in Griseo quem resumpserunt colore, Martini Papæ quinti notabile statutum, *Non debent nostræ vestes esse adeo preciosæ, vt videntes eas notare debeant curiositatem, vel vanitatem: Neque ita viles & grossæ, quod videntes ad terrorem & horrorem, & derisum inducant.* Sicut ergo sapientiæ fuit antiquis Carmeli patribus, pelles hirsutas Melotarum ne risum ac terrorem excitarent, communi consensu deponere: ita, fuit *humilitatis*, eas deinde vestes deligere, quæ longiùs à vanitate & futili curiositate recedentes; quasi inter illarū horrorē insolentem, & luxuriantes istas à colore efficato mediæ intercederent.

Griseus color insinuare potest humilitatem.

In Constitut. cap. 2.

Mediocritas in vestib. Monasticis seruanda.

Iam compara mihi, si lubet, griseum cum nigro colorem; hic certè tinctura insignis quantò magis ad consuetum sæcularis vitæ luxum accedit, tantò discedit magis ab Eremiticæ & religiosæ paupertatis humilitate. Si enim quod placet Aristoteli dissymbolorum naturam difficilius est commiscere, quam symbolorum; annon vides natiuæ lanæ sordes & tenuitatem, nil omnino cum sæculari pompa habere affinitatis? sed quam faciliùs Deus bone! insinuabit se vanitas, curiositas, deliciæ vestium, vbi colorum vicinitate ita iam sibi adhærescunt, vt mutua cognatione videantur adnasci. *Maturè namque à rectis in vitia à vitijs in praua, à prauis in præcipitia peruenitur. Omnis licentia plerumque tentatio disciplinæ est.*

Lib. de generat. & corrupt.

Dissymbola non ita facilè mutantur ac symbola.

Facilis descensus Auerni.

Velleius pater-cul. l. 2.

Non redibo in annales quæ *veterum delicta locuntur*; neque ipsa quæ vidimus hoc sæculo animus est commemorare; cùm nemo sit vllus maturè sapiens, quin facilè concedat cum magno illo Nazianzeno antistite. *Splendidæ vestis sordes esse manifestiores*; & pauperem lanam natiuam absque fuco, sine tinctura multominus habere affinitatis & conuenientiæ cum precio, cum mollitie, cum delicata materia, cum splendore, cum vanitate & curiositate. Quæ religiosæ humilitatis pestes, adeo multos superiori

Claudian. paneg. 3. Honorat.

ἰδῶντος λαμπρῆς οἱ σπῖλοι ἀριφανέστεροι. *Orat. 3.*

sæculo corruperunt, vt non immeritò sapientis Heremitæ verba potuissent vsurpari. *Dicebat fratribus Abbas Isaac, & Abbas Pambo, Patres nostri vetustis & de multis partibus resarcitis vestibus vtebantur, nunc autem preciosis vtimini.*

In vitis Patrũ.

Sane quidem inclinetur animus & propendeat natura in conuictum sæcularium & familiaritatem, resistet vel ipsa indumenti paupertas, & lanæ natiuæ vilis color non benè durabit in alieni vestitus luxu & fulgore: à quibus non ita abhorrent quæ in nigro posset esse pretium, concinnitas, similitudo & elegantia. monebit me mea vestis claustrum, non aulam deberi huiusmodi vili indumento, quod nimis nos à sæculi inanitate disiungit; imò etiam Eremum ac solitudinem requirit, & cum solitudine contemplationem quæ præcipua sunt Carmelitarum exercitia, vt latè declarat. B. Nicolaus Gallus 7. Generalis in lib. apud nos manuscripto, cui titulus *Ignea Sagitta*. Quod si qua cogit necessitas inter exteros immorari, muta vestis reuocabit in memoriam verba illa Gregorij Magni, *Quid est Monachi habitus, nisi mundi despectus*? ausim ego quocumque pretextu animos superbiùs Attollere, cui humilis vitæ conscia est vestis humillima? audiatur nimirum vel vnus Cæsar gentilis vtique & profanus. Dicet *vestitum insignem ac mollem superbiæ vexillum esse iudiciumque luxuriæ.*

Monachi vestis mundi contemptus.


Epist. 11.

Vestitus insignis & mollis superbiæ est & luxuriæ nota.

Melior coronis ex Diui Basilij præcellentiæ Monachorum magistri sententiâ, *Si in eo studendũ*

est nobis vt omnium infimi sumus, sine dubio & quod in hoc genere indumentorum infimum est, id summopere est nobis amplectendum; vt enim gloriæ cupidi, gloriam & inanitatem ex vestium cultu ac splendore aucupantur: sic videlicet humilis & Religiosæ vitæ studiosi, ex vestimenti quoque vilitate debent venari humilitatem, & eam consectari. Cum ergo hic natiuus color sit vilior ex se nigro saltem artificioso, consequens est maiorem in eo humilitatis occasionem, cum ab obedientia permittitur iubeturque, subministrari: hocque sensu concludo in Gallia Carmelitas, & expectasse donec repetitis Superiorum præceptis commendaretur nigri artificiosi, in naturalem commutatio, & iam accedente obedientiâ, HVMILIA VESTIMENTA, ET AB INANI GLORIA REMOTA CONSECTARI, SICVT DECET SANCTOS.

εἰ πάντων προσήκει ἡμᾶς σπουδάζειν ἐσχάτους εἶναι, καὶ ἐν τούτῳ δῆλον ὅτι. τὸ ἔσχατον προτιμότατον. ὥσπερ γὰρ οἱ φιλόδοξοι καὶ ἐκ τῆς περιβολῆς τῶν ἐνδυμάτων τὴν δόξαν ἑαυτοῖς θηρῶνται, &c.
Reg. 22. fus. disput.



OCTAVA RATIO
LEGES CHARITATIS OBSERVATÆ.

Charitas omnibus colenda est.



NOs *si quis roget, quidnam sit quod colamus atque adoremus? promptum est respondere quod sit* CHARITAS, Etenim vt à spiritu sancto pronunciatum est, *Deus noster Charitas est*; eoque nomine magis delectatur, quam quouis alio. Præclaram verò vocem, & delphico dignam propilæo! cuius veritatem oraculi ita mihi videntur reduxisse ad praxim, qui è nostris Patribus coloris in veste mutationem elegerunt, vt iure meritò pro iis respondere queam, nihil eos in huius transactione negotij coluisse magis & excoluisse, quàm CHARITATEM. Existimarunt videlicet cum Clemente Alexandrino, Eam virtutem *præcipuum esse hominis Christiani munus*: cum Tertulliano, *summum fidei sacramentum*: cum Basilio magno, *Radicem mandatorum*. Nam si diuina humanaque propter Deum mandata fideliter exequi Charitatis indicium est, quid aliud quæso censeri debet aut potest effecta à nostris Patribus vestimenti mutatio, quàm sincera erga Deũ *Charitas*? cuius oracula in Core Superiorum non aliter resident, quàm in Cortina, aut tripode, quam in arca, aut sancta Sanctorum *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit.* Nam reuera quæcumque tandem sit hæc mutatio coloris, ab eorum certè obedientia ac volun-

Deus charitas est.

Charitatis elogia.

Obedire superioribus Charitatis indicium.

Orat. 15.

Lib. de Pat.

Orat 5.

Luc. c x.

tate profecta eſt, quorum ſub nutu noſtræ totius vitæ momenta decurrunt. Obedimus ergo dum mutamus. at obedire, quid eſt aliud, quam CHARITATEM COLERE ET ADORARE?

Ignem cogita, cuius eam eſſe naturam tradunt veritatis indagatores Philoſophi, vt duplici ſimul effectu, ſuam commendet virtutem. Sume enim, ſi lubet, pilam vnam aliquam aut cumulum conflatum paleâ, ferro, argento & cæteris naturæ diuerſiſſimæ firmiter inter ſe combinatis: fac deindè flammâ ignis hanc maſſam diſſolui, reſoluique, Quid tandem? diffluent vndequaque, & natiuo impetu fluente hinc cerâ, inde ferro, auro, argento & cæteris quæ ſunt inter ſe cognata, confeſtim ſecreta ab alijs, ſibi mutuò adhæreſcent. Vno verbo charitas haud ſecus quam ignis, & Heterogenea diſgregat, & congregat Homogenea.

Charitas ſicut ignis congregat homogenea diſgregat heterogenea.

Iam igitur à me exquirat aliquis, quæ cauſa ſit huius in Gallia mutationis? quis autor? quis tam ſubitò è Machina Deus? PROMPTVM EST RESPONDERE, QVOD SIT CHARITAS. Nempe ſacer ac diuinus ignis, nobis meliùs, quam Chaldæis olim elementaris colitur, adoratur. Cuius effecit flamma, vt noſtræ Religionis profeſſores tùm ab alijs naturæ profeſſioniſque diuerſæ, quaſi heterogeneis diſiungerentur: tùm verò cum Homogeneis, cum capite inquam, cum veteribus Gallis, Hiſpanis, cum Italis, cum maioribus, cæteriſque nobilioribus membris cognatâ, vt ſit veſtium ſimilitudine coniungerentur.

Ignis Chaldæorum Deus.

Frigus congregat homogenea simul & heterogenea.

Heu me! dum malum nescio quod frigûs, per Superiorum ætatum hyemem funestè grassatur; homogenea simul & heterogenea miserabili cõfusione congregat. Hinc refriguit ardor mentis, hinc corporis membra diriguere; vtque lunæ color dùm inclinat in occasum, nigrescit, *Priscum sic lana colorem perdidit.* Interim oportunè accedit Cælestis flammæ beneficium. Nempe dum *Charitatem fraternitatis inuicem diligimus, idem sapiunt* Ordinis nostri Patres in Capitulo Generali Romæ celebrato, congregati: & ex omnium consensione res in Superioris voluntate Generalis, eiusque Consilij reposita est: dùm cuncti *vnanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam: non quæ sua sunt, sed quæ aliorum considerantes,* vniuersi Carmelitæ colori griseo seu nigro natiuo vt acquiescerent, speciali decreto commendarunt. Vnde patet factam à nonnullis variationem in colore, non esse schisma aut diuisionem, quod odij partus est, sed nexum, sed fœdus, sed cum homogeneis conformitatem & intimam coniunctionem. Quæ non aliunde quàm à Charitate ortum ducunt. Nam præclarè D. Cyprianus, *Charitas fundamentum est Pacis, tenacitas ac firmitas Vnitatis.*

Charitatis proprietates & adiuncta. Philip. 2.

1. Corinth. 13.

Quid vis amplius, mi Lector? si *Charitas patiens est*, ne ea demutatio aliquorum cerebrum vreret, eam per totos tres annos sustinuerunt ac prorogarunt. *Si benigna est*, dici vix potest, imo nec credi quantâ prudentiæ & discretionis benignitate effecta sit. *Si Charitas non irritatur*, cui tandem mortalium ab eis sæpè lacessitis reddita est iniuria? *Si*

Charitas

Charitas non æmulatur, aliena, imo domestica suorum exempla imitari, an inuidia est? an liuor? an potius meliorum Charismatum laudanda æmulatio? *Si Charitas non inflatur, nec est ambitiosa*, stultos dixerim qui pauperem vestem assumpsere, vt in eius sordib⁹ tutiùs lateret superbia. Itáne verò adeò desipuerint tot in virtute exerciti Patres, adeò cæcutierint tot oculati, vt ignorauerint quod aiũt illi?

Æmulamini charismata meliora. 1. Corinth. 2.

Stulte quid superbis in humili veste.

Claudian. de laudib. stilic.

Propriam labem tersisse laborent,

Horat. in od.

Superbia virtutum ingrata est comes.

Ergo nescierunt illi insigne dicterium, quo Dæmonax olim sapientissimus, homines ob purpureum vestis colorem superbiâ elatos deridebat,

In Apoph.

Heus tu, ouis antea gestabat hanc lanam, & ouis erat. Quin potius quantum capio, quantum sapio, dicam in causa Religiosæ Congregationis,

Nil opus inuidia est, procul absit gloria vulgi.

Non fuit *ambitiosa Charitas*, si hæc vestis *mundi despectus est*. Si in coloris vilitate, virtutis humilitas quæsita est & quantum ex se adinuenta.

Neque tamen omninò deest, in quo non mediocriter læsa mihi Charitas videtur: illa enim Pauli oraculo, *non quærit quæ sua sunt*; nam ita quæ sunt Iesu Christi quæsiuimus, vt ausim nihilominus fateri Patres nostros quæ sua erant ab antiquo quærere, nempe Patrum hæreditatem, vestem maiorum, proprium Carmelitici Ordinis colorem repetere. At obsecro, si sua repetere, redire in propria, iustitia est? an iustitia pugnabit cum Charitate? an illius leges, huius mandatis erunt contrariæ? Omen Deus auertat! Quin verissimè dictum

Quod fit secundum iustitiam fit secundum charitatem.

video ab Augustino *Charitas est verissima, plenissima & perfectissima iustitia*. Quid inuidemus, si veritas maturuerit nostro æuo? viderunt ij, quorum erat videre: inspexerunt, perspexerunt, iudicarunt griseum seu nigrum sine fuco colorem in tunicis Carmelitis omnibus esse assumendum, vt propriũ, vt antiquum, vt hæreditarium & verum colorem, quidni ergo demutare erit CHARITAS? quando & Charitas *congaudet veritati*?

Lib. de natura & gratia. cap. 12.

Charitas gaudet inuenta veritate.


Sed enim quia debet ex mente Philosophi sermo circulo fieri similis, vt idem sit initij punctum & finis. Concludamus cum eodem D. Gregorio Nazianzeno, *Angularem lapidem non dirumpimus aut distrahimus, Charitatem nequaquam lædimus, fraternitatis iura colimus: nam Charitas constringit, nec bonum quod in nobis est dissipari, ac diffluere sinit: quamuis alioqui fluxæ fragilisque naturæ simus; atque è tribus vnum, aut cùm est manet, aut cum mota & conuulsa est in integrum restituitur, aut cum abcessit reuertitur: non secus ac plantæ quæ manibus per vim in diuersum tractæ simul ac dimittuntur, statim ad sese primamque suam naturam recurrunt, idque sibi proprium ostendunt, vt inuitæ quidem inflectantur, non inuitæ autem erigantur.* Et hoc tertio modo posito vestium, nigro colore griseum assumpsisse, videtur indicium CHARITATIS. Porro sententia est dilecti à Christo discipuli præclarissima loquentis de Charitate, *Præceptum Dei est, & si solum fiat sufficit.*

Notabiles effectus charitatis huic materiæ maximè proprij.

Hoc modo Charitas Griseum colorem restituit Carmelitis.

Hieron. in epist. ad Galat.

NONA RATIO
SCANDALVM EVITANDVM.



Pf. 118. PAX MVLTA DILIGENTIBVS LEGEM TVAM ET NON EST ILLIS SCANDALVM. Qui credam igitur, vel eos qui superiorum mandatis obtemperarunt, vllum in huius mutatione coloris spiritualis ruinæ præbuisse offendiculum; vel alios quoslibet exinde ansam scandali, seu occasionem sumpsisse? cum notæ veritatis apud omnes Theologos axioma sit, neque scandalum passiuum inueniri in viris perfectis, qui firmiter Deo adhærentes à sua nequeunt rectitudine deflecti, & fermè vniuersa in meliorem partem interpretantur iuxta illud Regij Prophetæ; *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion,* Pf. 24. *non commouebitur in æternum qui habitat in Ierusalem.* Neque similiter actiuum vmquam reperiri in viris iustis, eoquod nimirum & illorum vniuersæ actiones præceptis iustitiæ consonant, in queis proinde nulla existere potest scandali directi, quod aiunt, materia; & si quando leuiùs deuiant à virtutis tramite, nemo prudens, quod aduertit D. Thomas, 2. 2. qu. 44. art. 3. & seq. inde sumit scandali occasionem. Quemadmodum igitur Christiani & benè de rebus sentientis iudicij officium est, persuadere sibi Religiosi Ordinis Patres rectoresque virtute haud minus, quàm sapientiâ insignes, sacro diuini Spiritus numinè

Iusti nec dant, nec capiunt scandalum.

Scandalum actiuũ & passiuum.

Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. cap. 1.

in vnum rectè cōgregatos & simul consentientes; nihil velle, nisi quod rectum est: nihil rescindere, nisi quod iniustum: nihil de nouo stabilire, nisi quod iustum legitimumque; omnibus demum consiliis suis & conatibus ad gloriam Dei, amorem & proximorum salutem, tanquam ad vnicū Religionis scopum collineare; ita certè nemo ausus sit dicere, Decretam in Generali Capitulo coloris mutationem scandali præbere occasionem, quin protinus eàdem se voce fateatur è Pharisæorum sectâ ventosissimâ: quod hominum genus liuoris plenissimum, & sapientiâ, virtutibus, & miraculis Christi quia noua apparebant, inaniter scandalisabatur. Nesciunt illi quod pulchrè notatum est à D. Chrysostomo; neminem posse nobis nocere, nisi qui eripuerit Cœlestia; imo frustra scandalum, ceu refugij asylum & aram apprehendere mentis infirmæ indicium est: dixit enim non illepidè comicus, *Omnes quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quomodo suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt, & se semper credunt negligi.*

Quis Religiosæ actionis finis & scopus.

Pharisæi ob actiones Christi temerè et maliciosè scandalizabantur.

In Adelph.

O FATVVM MEVM CAPVT, RE VERA ET CEREBRO VACVVM! si semel fictâ cogitatione feriantis animi comminiscar, Religiosos Patres, & qui suam doctrinam, virtutem, prudentiam, amorem Deum erga & proximos non leuiter probarunt, nigri in griseum coloris mutationē imperasse: & talibus imperiis morem gerendo assumpsisse, vt deffunctis qui in nigro vixerunt irrogarent iniuriā; cùm canini dentis morsus sit, *leones mortuos vellicare,*

& nemo sit qui ignoret legem priusquam ritè promulgetur, subditos nequaquam obligare: Ideóque quotquot antea nigro fuere conuestiti in abusu reverâ extitisse, sine prauo vsu: cùm omnis culpa in eos debeat refundi qui omniũ primi subducto griseo, quem vetustissima statuta imperant, nigrum ab opifice tinctum induxerunt, si tamen id ab eis factum est sine legitimo fundamento. Iam verò vbi palam decretum Generalis Capituli promulgatum videmus, quæ tandem Scandali occasio? quæ in mortuos iniuria? quænam in maiores irreuerentia? fateor nostrũ Ordinem in nigro si hæreamus, vtiquè quoad essentialia consistere, Regulam Carmelitanam sine hac coloris mutatione absolutè seruari posse, non secùs ac citra semestre ieiunium, iam à multis annis custoditur, haud nego. Verùm ex quo legitimè præcepta est, seu vt Theologorum more loquar, ex hypothesi notæ nobis superiorum voluntatis, tam rectè posse seruari à nobis saltem, fidenter per nego. Nam *ille seruus qui cognouit voluntatem Domini, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius vapulabit multis*. Lucæ ca. 12.

Lex non obligat nisi promulgata.

Quando possit esse aliquis in abusu absque prauo vsu.

Quomodo possit seruari Regula Carmelitarum sine Griseo colore.

Maneat ergo sacris Cineribus debitus honos. At enim quis quæso viuorum contemptus, vnde præsumpta scandali occasio pullulet? ex eo nimirum, vt audio, quod deinceps conuestiti obseruantiores volunt videri, & non esse; itâque auram popularem ostentitio cultu captare, adeo vt diceret illis non abs re Socrates, quod olim suæ Xantippæ nouâ togâ indutæ; *hanc non spectandi causâ, sed potius vt specteris.*

In viuis nullum minium.

O *Curas hominum, ô quantum est in rebus inane.*

Ergo nescitis, ô boni, quod docuit Philosophiæ magister, *quibusdam magis est operæ pretium videri sapientes & non esse, quàm esse & non videri.* Sed hæc ab Ethnico. dicam religiosiùs, ergo qui cum toto Ordine voluerunt esse in vestimento conformes, gnari, *Maximum Religionis vt ciuitatis bonum esse amicitiã? quæ semper pares vel facit, vel inuenit:* eam optarunt cum reliquis similitudinem, vt essent dissimiles? conformitatem, vt difformes? coniunctionem, vt disiuncti? communitatẽm, vt singulares apparerent? curramus omnes ad iniunctam communitatem (sicut iam maxima pars præcurrit) nulla ampliùs restabit singularitas: amplectamur cuncti vniformitatem, nihil superererit difforme: obediamus vniuersi, nulla certè relinquetur dissimilitudo vnde hi obseruantiores & candidæ Gallinæ pulli, illi degeneres, terræ filij, quartâ lunâ nati, atro colore notētur. Ergo, inquam, Religiosus ordo nó dubitarit *aduersus filium matris suæ ponere scandalum?* cum tamen docente natura, *nihil agat in suum simile, sed in contrarium dumtaxat*; & diuinæ sit oraculum veritatis *qui despicit partum matris suæ, suffodient eum corui*, annon potiùs quisque reuera ingeminabit illa psalmistæ verba, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Cum in mystico Religionis corpore, secùs quam in humano nullus lien penitus existat, qui iniqua auaritiâ aut ambitu; aliarum partium diminutione ipse accrescat.

--Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.

Scitum namque illud prophani, nefas est nocere vel malo fratri; quanto minus his, quos ex

Similitudo amicitiæ parens & proles.

In Religione debet esse summus amor & maxima æquilitas.

1 Elenchor.

Minutius fælix in Octauio.

Psal. 49.

Arist. lib. 1. de cælo.

Prou. 30.

Psal. 68

Virg. 1. Æneid.

Seneca.

Charitatis præcepto, iuxta nos colimus, amamus, diligimus.

Ionam ferunt Scripturæ interpretes à facie fugisse Numinis, ne ipso ad Niniuitas accedente, à suis popularibus gratiæ cœlestis abundantia recederet. Nostri è contrario ad suos confratres amant accedere, recedentes à sæculi contagione, quò in omnibus gratia accrescat cœlestis, virtutum opes augeantur: temerè igitur nonnulli, *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor*. Frustra despectos côqueruntur, *Cùm nemo sit miser nisi comparatus*; & sublatâ omni, quod iubemur, diuersitate, nulla remaneat materia comparationis, quæ rectè non instituitur nisi inter dissimilia. Atque inter bonos iugem pacem, seu concordiam regnare, vetus verbũ est; cum Respublicæ omnes, vt olim Atheniensis, non aliâ de causâ Deam colant Mineruam, quàm quia pax potior armis censetur, tranquillitas turbis, consensio dissidijs, concordia inimicitijs. Vnde illud Aristotelis, *Ciuitas non est vna propter eosdem muros, sed propter eandem politiam.*

Cur Jonas fugerit à facie Domini.

Psal. 13.

Seneca.

Lib. 3. Politic.

Ex quibus manifestum fit, nigri in griseum coloris mutationem & à Superioribus Ordinis nostri fuisse iniunctã, & effectã ab inferioribus ad communẽ Regularis vitæ obseruantiã, nõ ad singularis iactantiã austeritatis: ad maiorũ imitationẽ, non ad contemptum mortuorum: ad ædificationem, non ad ruinã: ad vniformitatẽ cũ toto, nõ ad factionẽ, & ab his aut illis diuisionẽ. quid multa? ad tollendã omnem scandali occasionem, tantum abest vt ea præbere debeat aut possit, vel leuissimũ scandalũ.

Griſeus color ſuadetur Carmelitis ad euitandum ſcandalum.

Quod ſi me fortaſſis iſta non credis affirmantem, acquieſce modo, ſi placet, loquentis Reuerendiſſimi Generalis voci & oraculo. *Vt decretum executioni mandetur iniungimus, vt præfatam veſtimentorum rationem tam quoad modum & formam, quàm quoad colorem griſeum omnes tam Clerici, quàm Laici, ſeu Conuerſi abſque vllâ diuerſitate & diſtinctione,* QVÆ NON MEDIOCREM RELIGIONI IACTVRAM PARIT, ET OCVLIS SÆCVLARIVM DISPLICENTIAM INFERRE SOLET; *in poſterum vti æquum & pulchrum eſt, amplectamini.* Et quid aliud obſecro eſt Religioſum oculis ſæcularium diſplicere, quàm infirmis, imo etiam fortè prudentibus anſam præbere ſcandali, inijcere lapidem offenſionis? Si flocci pendis Superiorum voluntatem & expreſſa verba, vide quem colorem excuſationis poteris adhibere, quâ fronte, quâ audaciâ dati ſcandali Ordinẽ noſtrum deinceps incuſare, cùm pulcherrimæ diſertiſſimi viri ſententiæ aurem & animum accõmodaris. audiſne? ille eſt Chriſtianæ facundiæ flumen, & in virili eloquentia palmaris, magnus Hieronymus; qui in ſimili omnino caſu pro meâ cauſâ acerrimè pugnat contra obtrectatores Dentatos, Zoilos, Ariſtarchos qui Bleſillam carpebant, quod poſitis ſolitis veſtibus, vitam meliorem eligens, & veſtis quoque colorem immutaſſet: quos certè Blaterones acri ſtylo ſic perſtrinxit egregius Monaſticæ pietatis aſſertor ac patronus, *Scandalizat quẽpiam veſtis fuſcior* (qualis eſt ea ad quã modo rediuimus) *Scandalizet Ioannes quo inter natos mulierum nullus maior fuit, qui Angelus dictus ipſum quoque* Ep. 25.


Apposita ſententia Diui Hieronymi pro fuſca griſea veſte, contra eos & qui tali colore ſcandalizati declamabant.

Dominus

Dominum baptisauit, qui Camelorum vestitus tegmine zona pellice a cingebatur. Nomen parum curo, rem attende & vide quæso, vt nihil intersit inter Ioannis CAMELINVM, & nostræ religionis CARMELINVM vestitum & colorem.

DECIMA RATIO
EXEMPLA.

Homil. 11. in epist. ad Philip.

ABENTIBVS EXEMPLA APOSTOLORVM OMNIA FACILIA ESSE, dicebat olim Christianis inter Sanctos eloquētissimus, & inter eloquētes sanctissimus Ioannes Chrysostomus: vti eorum mentes ad exercitia virtutum seriò capessenda adhortaretur. & meritò illud quidem. Nam iuxta monitum Aristotelis, *Exemplis vtimur in dicendo, vt faciliùs intelligatur illud quod dicimus*; concinitque Poëta dum cecinit,

Exempla ad persuadendum efficacissima.

1. Poetic.

-- Omnis nostræ paulatim industria vitæ
Fluxit ab exemplis.

Claudian. in Epigram.

Quam ego veritatem si ad nostri propositum instituti impræsentiâ libet inflectere, dicam verissime habentibus eorum EXEMPLA, quos in religione ceu Apostolos colimus ac veneramur: hanc coloris MVTATIONEM Carmelitis fuisse FACILLIMAM. Patrum nostrorum exempla intelligo,

--- Nec enim externo monitore petendus,
Virtutis mihi pulcher amor.

Nomino Carmelitici Ordinis Decora: nam vt

Domestica eorum exempla qui inter Carmelitas sanctitate floruerunt nos ad Griseum colorem efficacissimè impellunt.

pulchrè attigit S. Hieronymus, *Numquam exemplum à malis petitur.* Sed quos Deus bone! quales, & vndenam oriundos? innumeros, insignes, non obscuros, præcipuos patriarchas, institutores reformatores in Palestina, in Gallia, in Italia, in Hispania, in Belgio, in Armorica, in Germania, vbiuis gentium.

Niger tinctus color Heliæ vestes non benè imitatur.

Beatæ Virginis tunica seu vestis erat lanæ natiui coloris, & nullo colore effucata: hæc verò debent præcipuè imitari Carmelitæ.

De Helia authore Carmelitarum, apertè suprà mihi videor demóstrasse, nos (quod debemus) perfectam eius vestimenti similitudinem necquicquã imitari, si in vestibus tincturam ab officinâ aduocamus: cum parentem nostrum griseo seu natiuo nigro, citra omnem fucum indutum fuisse, tàm sit certum quàm quod certissimum. Sed quid dices amabo? cùm alteram Ordinis nostri parentem, matrem fœcundissimam, Sanctissimam Mariam virginem in exemplum adduxero: quo enim putas colore, & quibus vestibus Carmelitarum patrona induebatur? Audisti vnquam quod legi ego apud Nicephorum, *nil dubites authore bono*, maximè cum Ecclesiastico Annalistæ plerique magni nominis authores subscribant. Is igitur l. 2. c. 23. de Beatæ Mariæ virginis vestibus scribit in hæc verba, *Non optabat splendida videri in vestimentis, nec culta elegantiùs, aut ornata: verum erat ei satis defferre* VESTIMENTA NON TINCTA, SED CVM SOLO COLORE NATVRALI. Et nos interim degeneres filij, tincturam & artificiũ exquiremus? pudebit tantæ virginis instar, NATIVA LANA insigniri? ego certè paterno, maternoque vestium colore indutum me esse glorior & exulto.

Paternum & maternum colorem imitamur.

Descendamus ad consequentes ætates. Nullum

prorsus reperias vllo tempore egregiũm Ordinis reformatorẽ, qui non in cæteris studuerit maximè, vel nigrum tinctum (quam æui deprauatio inuexerat) resignare, & griseum natiuum introducere: vel hunc non tinctum peculiaribus statutis conseruare. Eminet in reliquis B. Ioannes Soreth totius Ordinis Generalis Prior, Gallus & ipse è Normania oriundus, quem sanctissimũ virũ eius vitæ historia, ab itineris socio Patre vbaltero de terrâ nouâ conscripta, griseo hoc seu natiuo nigro indutum, non obscure testatur. Nam & in singulis prouincijs, præsertim verò in Belgio & Germania inferiori, Gallia & Armorica reformationem instituit: cuius in constitutionibus id erat quoad vestimenta præcipuum, vt quotquot strictioris vitæ cupidi, obseruantiam amplecterentur, interdicto colore nigro, griseo dumtaxat natiuo in vestibus vterentur, alio planè nullo. quo etiam loco testatissimum exemplũ & omni exceptione maius, licet annotare. Nam Valencenis in Hannonia (nimirũ Cisalpinâ regione, & olim ditione, nunc tantũ idiomate vtique Gallicâ) cùm ad Reformatum eius ciuitatis conuentum, quidam è nostris Religiosus contenderet, latronum iniuriâ suis omnibus vestimentis exutus est, quem nudum in Conuentu receptum, B. pater qui inibi per eos dies sedem fixerat, aduocato è vestigio sartore, EX NOVÆ REFORMATIONIS INSTITVTO GRISEA VESTE DONAVIT.

B. Ioannes Soreth Carmelitarum Generalis Gallus Griseo seu natiuo nigro vestiebatur, & reformationi in Gallia institutæ hunc colorem præscripsit.

Plurimi Carmelitæ in diuersis Galliarum prouincijs Griseum in vestibus colorẽ assumpsere.

Et negabit interim nescio quis, Carmelitas vnquã in his citerioribus prouinciis, griseo fuisse conuestitos! Nempe *defecerunt scrutantes scrutinio, & pen-* Psal. 64

nis propriis aues capiuntur. Ecce enim certissimâ manuscriptorum fide (quæ Deus singulari prouidentiæ dono hâc ætate in lucem exire permittit & breui cætera permittet) Galli iam olim Carmelitæ nigrum colorem respuunt, quasi adulterinum & superinductitium. Ecce B. Pater Ioannes Soreth Gallus videlicet, griseo induitur, vt potè reformationis quam instituerat author ipse & exēplar. quid ergo opus erat canere tam longis tibijs? *Docentes alios mentiri non decet*, inquit Aristoteles; quæ igitur temeritas prouocare ad exemplum P. Sorethij, & nostros quasi eius cinerū, quos veneramur, plagiarios in ius aduocare? cū eū griseū colorē assūpsisse, & suis quos ad regularē obseruantiā reuocabat imperasse, ratis monimētis conscriptū sit? Sapiētis reuera oraculum est, *qui nititur mēdacijs hic pascit vētos*.

Galli Carmelitæ etiam ante 150. annos griseo conuestiti.

Qui Historiam referunt vt alios doceant, errare ridiculum est.

Lib. de mortc.

Prou. cap. 10.

Nolo interim acriùs inuehi, audio; scilicet malitiæ & mendacij nomen exosus, ignorasse se veritatem cogetur fateri Anonymus. *At turpe est ignorare quod scire conuenit*. Vnde iusto Dei iudicio euenisse arbitror, vt sagittæ paruulorū, quas temerè in contrariū nouo impetu cōtorquebāt, factæ sint plagæ eorū.

Ignorantiæ prætextus in exemplorum allegatione, turpiculus est.

Nam & secundo errore, vt prior coronaretur, penetratur in Armoricæ interiora, vtque *nihil est quin malè narrādo poßit deprauari*, plusquā stētoreâ voce aduersus coloris mutatores inclamatur, quasi verò trāsfugæ sint à maiorum in hac regione exemplis; quasi à B. Franciscæ Ambosiæ fœlicis olim vtriusque Armoricæ Ducissæ, exēplis desciscāt. Eā enim dicit Anonymus nigro tincto, effucato colore fuisse indutam, quid ita? quia voluit, quia finxit, quia imaginatus est. nam legisse, vidisse, audiuisse

Secundus error in exemplis et historia.

Arist. 2. Rhet.

nec ipse potuit à nostro Ordine alienus, & nostræ antiquitatis planissimè nescius: vel si rerum nostrarum conscius, dicam reuera quod Philosophus, *nihil ei minus perspicua esse, quàm quæ propinqua.* Cur non Nannetas appulit? cur sacras Scotij Conuentus moniales ad eam ciuitatem prope Ligerim, non consuluit? Ostendissent illæ Beatæ illius Ducissæ deinceps Carmelitanæ, vestem religiosam non tinćturâ insignem, sed puro, sed natiuo, sed griseo colore simplicissimam; quæ pro eo ac meretur sacra Reliquia, in defunctæ memoriã reuerẽter asseruatur. Debuisset Nazareth Monasterium iuxta Venetas in Armorica pergere, ibi certè reperisset quod meis ego oculis, Beatæ scilicet Franciscæ vitam R. P. Ioannis de Monte operâ conscriptam ann. 1548. cuius in 41. capite disertè exprimitur, vestem illius fuisse reuerâ è PVRA LANA ET RVDIORI, COLORIS GRISEI SVBNIGRI seu vt loquitur author, *rufi & infuscati* vernaculo idiomate quo extat (ROVX ET ENFVMÉ) Latini authores ferrugineum siue impluuiatum appellant, eumdemque asserunt cum colore, quo hac ætate in veste vtuntur RR. PP. Minimi.

Ante 140. annos B. Francisca Ambosia Carmelitana, ante Ducissa: Griseo colore in Religioso indumento in Gallia vsa est.

La bonne Dame estoit vestüe comme les autres Religieuses, de grosses chemises de laine, & le plus souuent la haire. Pareillement estoit sa robbe d'vn gros DRAP ROVX ET ENFVMÉ & par dessus le manteau blãc, lequel habillement cõuient fort aux Religieuses par la robbe rousse est entendüe la mortificatiõ de chair, & aussi la douloureuse mort & passion. &c.

Vanescat ergo fulgur è pelui, eat iã futilis clamor, abeat in ventos inanis vociferatio eius, quisque ille sit, qui ratus reperisse se non quod pueri in faba B. Ioannis Soreth nostri quondam Ordinis Generalis, nobilisque quoque Ducissæ B. Franciscæ Ambosiæ exẽpla, quasi verò amentata tela cõtra griseum colorem vibrauit, quæquidem in eum non mediocri vulnere possũt retorqueri. *Bis perit qui suis armis perit.*

Certè enim dum intueor Patres noſtros in Gallia redire ad natiuum lanæ colorem, & ſimul in Beati Sorethij vitam oculos mentis intendo, non inepto acroamate videor mihi de *tanto Patre dicturus,*

Hos tibi virtutum ſtimulos, hæc ſemina laudis
Hæc exempla dabat.

Claudian. 5. Conſul. honor.

Falſum ſemper colligitur ex falſis. Ariſt. 8. Topic.

Rurſus cũ ſtomachãtes acriori bile *falſa ſemper video ex falſis colligentes*, per fas ac nefas aſtruere, B. Franciſcam Ordinis noſtri in altero ſexu decus eximiũ, non fuiſſe griſeo natiuo conueſtitam, ſed nigro artificiosè tincto, vereor ne potiori iure quã qui accuſãtur ab ij, defunctæ memoriã iniurioſo mẽdacio afficere videãtur. Ex quo periculum imminet, ne vt olim qui ſtatuam mortui Theogenis verberibus appetebat, ab ea obrutus fuit; ita obloquens tùm contra veſtimenti ſacras reliquias, tùm aduerſus germanam monumentorum ſcriptorumque veritatem, vltrices pœnas ſerâ pœnitentiâ experiatur.

S. Thereſia dũ ordinem reduduxit ad primæuum ſtatum & regulam, non aſſumpſit nigrũ tinctum ſed Griſeum tamquam Carmelitis proprium & antiquum.

Sed hæc antiquiora, recentiſſima dabo: reſpice, ſi lubet, in Hiſpaniam, videbis vtiquè noſtri æui lumen totiuſque Carmelitanæ Religionis columen beatam Thereſiã, quæ dum virili planè auſu ſacrum Ordinem reſtaurauit, non nigrum artificiosè tinctum, ſed griſeum natiuumque colorem, vt potè proprium & antiquum pro ſe ſuiſque elegit. Vnde dum obtentâ Superiorum licentiâ, priuatum corpus ſatis iam amplo numero RR. Patres Diſcalceati effecerunt, id vnanimi optarunt conſenſu, vt ſicut antiquum Carmeli vigorem in moribus reuoçabant, ita & in veſtimentis priſco natiuæ lanæ colore maiorum exemplo vterentur. Atque ab aliis qui

griseo quoque conuestiebantur, nota discriminis foret præter nuditatem pedum, Cappa alba non vsque ad medias tibias, sed vt est in praxi longè breuior, cum aliquali in vestium forma, tunica videlicet, scapulari, cappa & capputio diuersitate: manente interim, quod colorem attinet, omnimodâ similitudine ac paritate. Hos nimirum videmus ab eo tempore in Gallia, in Belgio, in Germania quo colore, nigro tincto? minimè gentium. sed griseo natiuo, quem antiquum & proprium Carmelitis colorem iudicarunt, nigro denique Carmelino indutos. Et iam nobis non liceat Deus immortalis! sanctissimam Matrem Theresiam, florentissimam congregationem in hæreditario colore imitari, sicut ij reuera Maiores nostros etiam Gallos in hoc ipso colore imitantur.

RR. PP. Discalceati Carmelitæ colorem Griseum retinent, diuersitatem tantum in vestimentorum forma inducunt.

Vis fortè redire in Italiam; nempe absoluam te paucis, Congregationis enim Mantuanæ ista est expressissima constitutio. *Vestimenta fratrum lanea sint eiusdem formæ vt habeant tunicas amplas, griseas, ferugineas, vel saltem ad nigredinem tendentes.* Et infra. *Nullus frater portet vestes de alio panno, vel lanâ, alio quàm dictum est colore, sub pœnâ priuationis vsus illius, & grauis culpæ rigidè infligendæ: sed omnes vbiquè vtãtur* GRISEIS SVI NATIVI COLORIS AD NIGREDINEM TENDENTIBVS, NEC ALIQVOMODO TINCTIS, sub pœna priuationis vocis & loci: verba hæc clara sunt, nec mea luce aut Delio, quod aiunt, natatore indigent, ea solum annotare sigillatim, & secretâ mentis æstimatione ponderare verba illa, NATIVI COLORIS

Statutum congregationis Mantuanæ pro Griseo colore.

AD NIGREDINEM TENDENTIBVS pretium erit.

Possem insuper adducere hac ipsa tempestate Tholosanæ Prouinciæ Carmelitas, qui pridem à nigro colore deficientes griseum assumpsere, adderē Narbonensis, & Aquitanicæ. Hi namque vltimi in publicis Prouinciæ Comitiis in Conuentu Rupifucaldensi celebratis anno 1624. de nigro in griseum colore immutando in hæc omnino verba decreuerunt, *Quia visum est Generali Capitulo Romæ celebrato, & gratum fuit Christianissimo Regi, volumus & ordinamus vt qui iam colore griseo vtuntur nullomodo eum deponant, nec nigro in posterum vtantur.* Ij nimirum vniuersi cùm Decreto Capituli Generalis, tum Christianissimi Regis beneplacito, & totius Ordinis bono acquiescentes, in hunc colorem concesserunt, & iure illud quidem; nam


Plurimi Carmelitæ in diuersis Galliarum prouincijs griseum in vestibus colorem assumpsere.

Redire pietas vnde summota est solet. Seneca.

Quid ergo? nostri soli resistent, nec aliorum qui præcedunt exempla volent imitari? importuna certè bouinatio, non ferenda tergiuersatio. Qui olim inter Gallos dato signo nouissimus venerat ad locum certaminis Ducisque imperium, supinam negligentiam capitis pœnâ luebat; & libenter meis auribus audirem religiosos in Gallia, quos pietatis zelo inflammatos mecum suspiciunt benè multi omnium postremos ad commendatum colorem accurrere, præposterà quadam tarditate præcedentium vestigiis, maiorumque exemplis non acriùs insistere, premere, vrgere. Imo verò *prudentia est* (vel ex Terentij sententia) *tanquam in speculum vitam omnium inspicere, atque ex aliis sumere exemplum sibi.* In Adelphis.

Huc

Huc ergo te volo, aude pedem pedi, quisquis ausus es nugari nugas & quidem nugacissimas, quocumque te vertas nulla effugij via. Nam vel Eliam Patrem, Virginem Mariam Matrem, B. Ioãnem Soreth Generalem, B. Franciscam Ambosiam Ducissam olim Armoricæ, S. Theresiam à Iesu Hispaniæ tutelarem; Mantuanam Congregationem; Deniquè quotquot sunt in Ordine vniuerso pietate & doctrinâ insigniori, fatuos, imprudentes, ineptos, barones, stupidos dicas necesse est: quorum alii natiuo lanæ colore vnicè vsi sunt, alii griseum tanquam Ordinis proprium semper conseruarunt, alii intermissum reduxerũt. Omnes verò vnanimi consensu nigrum artificio tinctum verbo & opere procul eliminarunt, suisque religiosis facti exemplum reliquere. vel quod contendo, & sincera veritas exquirit, mecum fatearis oportet prudenter egisse Patres in Turoniæ Prouincia, qui ea exempla, pro eo ac debebant, summâ discretionis laude sunt imitati. Reuera enim pulcherrima semper vt sapientissima visa est mihi Basilii Imperatoris ad filium exhortatio; quæ si ad rem præsentem accommodetur, egregiè probabit Patrúm maiorumquè exempla nepotes ac posteros imitari, & decorum esse, & verò gloriosum, atque adeò consummatæ virtutis opus absolutissimum. *Debent pictores quidem* (aiebat sapientissimus Princeps) *corporum lineamenta, filii autem Regum* (dic tu ad rem nostram, religiosorum) *quasi viuæ imagines, Patrum virtutes & facta referre.*



OPERIS CLAVSVLA

IN QVA CONTRA DEPRAVATORES VERI, EXPLICATVR TRITVM ILLVD, *Habitus non facit Monachum.*

Hæretica opinio, habitum Monachorum esse inanem & superfluum, quam fuse confutat Thom. Vvaldensis de sacramental.



VICLEFI famosi apud Anglos Heresiarchæ dogma fuit; singularitatem vestis Monasticæ quâ vtuntur Religiosi meram esse superstitionem: adeoque diuersitatem in vestibus, generare diuersitatem in affectibus. Atque vt character erroris notaque euidẽtissima fuit, nunquam in medio consistere, quod virtutis est & veritatis; sed hinc aut inde semper in extrema dilabi, iuxta illud acutissimi Poëtæ,

Medio tutissimus ibis. Dum fugimus vitia labimur in contraria. August. lib. 9. de Ciuit. cap. 8.

Horat. 1. Saty.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Monachi in Oriente hypocritæ.

Vviclefum ex opposito præcesserant in Oriente hypocritæ quidam *Araneæ telam texentes*, vt vocat S. Ephrem, quos velut inanes vtres ventus inflabat superbiæ. Hi pallio & promissâ barbâ grauitatis speciem præ se ferentes, intus ieiuni & omnis solidæ virtutis expertes, veste tenus Religiosi, imperitam multitudinem deludebant. Iis merito iure potuisset obiici, quod Herodes olim detorquebat in Philosophos; *video barbam & pallium, Monachum nondum video.*

Horum igitur falsum dogma dum temerè auer-

ſatur Vvicleſus, diuerſam in Monachiſmo veſtimenti materiam, formam, & qualitatem ioculariã eſſe comœdiam aſſerit: negatque impudẽter quidquam prorſus conferre ad Religioſi ſtatus dignitatem, vel hilum conducere ad comparandam interioris vitæ ſanctimoniam. Sic nimirum ventoſus homo & arrogantiæ pleniſſimus,

Quiſquis medium diffugit iter, ſtabili nunquam tramite curret. Seneca in Agamemn.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Atenim longè meliùs Eccleſia Catholica, abs periculoſo vtrinque latere æqualiter recedens: ſicut ab eo ſpiritu inſpiratur gubernaturque, qui inter diuinæ Trinitatis perſonas medius intercedit, ęternum Patrem cum vnigenito filio mutuo ac fœlici nexu copulans; ita prorſus pergens mediâ viâ, procul à vitij falſitatiſque deuiis itineribus, virtutis mediocritatem ac veritatis amplectitur. Quocirca & Vviclefi aſſeclas hæreticos damnat, & ſuperbiẽtes à veſte Monachos erroris condemnat.

Eccleſia Catholica neque ad dexteram, neque ad ſiniſtrã declinat.

Quid enim aliud Gangrenſe Concilium 2. dùm acerbè reprehendit in Africa Monachos, qui promiſſâ barbâ, & pallio oblongo incedentes, cæteros contemnebant & aſpernabantur; Si quis *virorum*, inquit, *putauerit ſancto propoſito, id eſt continentiæ, conuenire vt pallio vtatur tanquam ex eo iuſtitiam habeat: & reprehendat, & iudicet eos, qui cum reuerentia burris vtuntur, vel alia veſte communi quæ eſt in vſu, Anathema ſit.* Quid Diuus ipſe Epiphanius, dùm ſaccophoros in Meſopotamia hæreticis annumerat? quid D. Hieronymus dum alios Cathenatos, alios ceu bubones & noctuas ſuis caputiis

Qui putant talem aut talem formam veſtimenti, conferre ſanctitatem, et aliter indutos contemnunt damnantur.

De ſaccophoris vide ſup. ſect. 2.1. Ration.

Superſtitio in veſte fugiẽda.

inuolutos, crudo sarcasmo irridet?

Quomodo Clerici debeant distingui à Laicis.

Quid summus ipse Pontifex Cœlestinus 2. dùm Epist. 2. ad Galliæ Episcopos scribit in hæc verba, *Discernendi à plebe vel cæteris sumus doctriná non veste, conuersatione non habitu, mentis puritate non cultu.* Extat verò hâc super re, monitum sancti Ephraem multo præclarissimum, *non putetis in cingulo, aut veste longâ consistere perfectionem Monachi, &c. nam habitus absque operibus nihil est*; putes corpus esse absque anima. Ridendi igitur, & reuera condemnandi qui è Carmelitis nigrum colorem in griseum commutarunt, si hac veste ambitioni seruire, singularis vitæ opinionem venari, aucupari auram popularem, deniquè, quod effutit Anonymus, obseruantiores videri voluerunt. Quin imo dans gloriam Deo luminum Patri à quo omne bonum procedit, nihil verebor dicere cum Græcorum in Theologia, non minus quàm eloquentia Coriphæo, *Nos externam quidem speciem, ac velut picturam parum admodum curamus: in interno autem homine plus operæ studiique ponimus.*

Aduersus viciosè viuëtes

Habitus Monachi, absque operibus nullus.

Epi. B. Iac. c. 1.

Orat. 5.

Maior religionis perfectio intrinsecus latet.

Sciunt namque vel mediocriter eruditi à pietate aut doctrina viri, quod præclarè idem docuit Nazianzenus, *Pietatem non in exiguis rebus, nec sapientiam in vultus tristitiâ, verùm in animi firmitate ac mentis puritate synceraque ad bonum propensione consistere*: ex quo præsertim ratum accessit Tridentini Concilij effatum, habitus non facit Monachum.

In quonam cõsistat vera sapientia.

Sed enim turpiter & à veritatis ſcopo & à ſanctorũ patrum mente aberrarit, quiſquis ſtatim autumarit ſtudium religioſioris cultus, & veſtis magis à ſæculi moribus abhorrentis inanitatem eſſe vanitatem, ſuperſtitionem; eoque nomine Carmelitas griſeum præ nigro in veſtibus colorem eligentes, iactantiæ & ambitionis accuſarit. Similem enim errorem reuincit præclara hæc noſtri Thomæ V valdenſis ſententia, *Hoc ergo nouerit iſte V viclef, ſemper & fuiſſe Christianæ congruum honeſtati, vt in veſtitu & ſignis extrinſecis diuerſæ profeſſionis & ſtatus fiat agnitio*; neque decretũ vnquam fuiſſet Concilij Senonenſis, *vt Deo conſecrati profeſſionem ſuam probent habitu, ſcilicet vt per decentiam habitus extrinſeci, intrinſecam morum honeſtatem oſtendant*; niſi longè antea veriſsimè dictum fuiſſet à Clemente Alexandrino, *vt ſigna quæ ad cauſas maximè accedunt, rei naturam ac proprietates maximè demonſtrant: ita amictum noſtrum indicare, qualis ſit morum noſtrorum conſtitutio.* Quin etiam proloquium eſt illius diuini ſpiritus, qui nec falli poteſt nec fallere, *Amictum hominis enunciare de illo.* Nempè quemadmodum ex Philoſophorum diſciplina, non parum conferunt accidentia, ad cognoſcendum ipſum quod quid eſt, videlicet ſubſtantiã, naturã, eſſentiã, quæ omnia occultiſsima noſtris oculis perſpici nequeunt; haud ſecus veſtes etſi accidẽtia ſint Monacho, multũ iuuant nihilominus ad dignoſcendam vitæ, quæ nos latet interioris puritatem, ſinceritatem,

Tit. 9. c. 8 de Sacram.

Can. 23

L. 3. Pædag. c. 11

Cap. 19. Eccleſ.

1. de Anima.

Oues non deberet pelles ſuas deponere, etiamſi aliquando ijs ſe lupi contegãt. Auguſt. de ſerm. Domini.

Habitus ſeu veſtis ſignum eſt internæ virtutis.

Ex accidentibus cognoſcitur ſubſtantia.

nis propriis aues capiuntur. Ecce enim certissimâ manuscriptorum fide (quæ Deus singulari prouidentiæ dono hâc ætate in lucem exire permittit & breui cætera permittet) Galli iam olim Carmelitæ nigrum colorem respuunt, quasi adulterinum & superinductitium. Ecce B. Pater Ioannes Soreth Gallus videlicet, griseo induitur, vt potè reformationis quam instituerat author ipse & exéplar. quid ergo opus erat canere tam longis tibijs? *Docentes alios mentiri non decet*, inquit Aristoteles; quæ igitur temeritas prouocare ad exemplum P. Sorethij, & nostros quasi eius cinerũ, quos veneramur, plagiarios in ius aduocare? cũ eũ griseũ coloré assũpsisse, & suis quos ad regularé obseruantiá reuocabat imperasse, ratis monimẽtis conscriptũ sit? Sapiẽtis reuera oraculum est, *qui nititur mẽdacijs hic pascit vẽtos*.

Galli Carmelita etiam ante 150. annos griseo conuestiti.

Qui Historiam referunt vt alios doceant, errare ridiculum est.

Lib. de morte.

Prou. cap. 10.

Nolo interim acriùs inuehi, audio; scilicet malitiæ & mendacij nomen exosus, ignorasse se veritatem cogetur fateri Anonymus. *At turpe est ignorare quod scire conuenit*. Vnde iusto Dei iudicio euenisse arbitror, vt sagittæ paruulorũ, quas temerè in contrariũ nouo impetu cótorquebát, factæ sint plagæ eorũ.

Ignorantiæ prætextus in exemplorum allegatione, turpiculus est.

Nam & secundo errore, vt prior coronaretur, penetratur in Armoricæ interiora, vtque *nihil est quin malè narrãdo possit deprauari*, plusquã stẽtoreâ voce aduersus coloris mutatores inclamatur, quasi verò trãsfugæ sint à maiorum in hac regione exemplis; quasi à B. Franciscæ Ambosiæ fœlicis olim vtriusque Armoricæ Ducissæ, exẽplis desciscãt. Eã enim dicit Anonymus nigro tincto, effucato colore fuisse indutam, quid ita? quia voluit, quia finxit, quia imaginatus est. nam legisse, vidisse, audiuisse

Secundus error in exemplis et historia.

Arist. 2. Rhet.

nec ipſe potuit à noſtro Ordine alienus, & noſtræ antiquitatis planiſſimè neſcius: vel ſi rerum noſtrarum conſcius, dicam reuera quod Philoſophus, *nihil ei minus perſpicua eſſe, quàm quæ propinqua.* Cur non Nannetas appulit? cur ſacras Scotij Conuentus moniales ad eam ciuitatem prope Ligerim, non conſuluit? Oſtendiſſent illæ Beatæ illius Duciſſæ deinceps Carmelitanæ, veſtem religioſam non tincturâ inſignem, ſed puro, ſed natiuo, ſed griſeo colore ſimpliciſſimam; quæ pro eo ac meretur ſacra Reliquia, in defunctæ memoriã reuerẽter aſſeruatur. Debuiſſet Nazareth Monaſterium iuxta Venetas in Armorica pergere, ibi certè reperiſſet quod meis ego oculis, Beatæ ſcilicet Franciſcæ vitam R. P. Ioannis de Monte operâ conſcriptam ann. 1548. cuius in 41. capite diſertè exprimitur, veſtem illius fuiſſe reuerâ è PVRA LANA ET RVDIORI, COLORIS GRISEI SVBNIGRI ſeu vt loquitur author, *rufi & infuſcati* vernaculo idiomate quo extat (ROVX ET ENFVME') Latini authores ferrugineum ſiue impluuiatum appellant, eumdemque aſſerunt cum colore, quo hac ætate in veſte vtuntur RR. PP. Minimi.

Ante 140. annos B. Franciſca Amboſia Carmelitana, ante Duciſſa: Griſeo colore in Religioſo indumento in Gallia vſa eſt.

La bonne Dame eſtoit veſtüe comme les autres Religieuſes, de groſſes chemiſes de laine, & le plus ſouuent la haire. Pareillement eſtoit ſa robbe d'vn gros DRAP ROVX ET ENFVME' & par deſſus le manteau blãc, lequel habillement cõuient fort aux Religieuſes par la robbe rouſſe eſt entendüe la mortificatiõ de chair, & auſſi la douloureuſe mort & paſſion. &c.

Vaneſcat ergo fulgur è pelui, eat iã futilis clamor, abeat in ventos inanis vociferatio eius, quiſque ille ſit, qui ratus reperiſſe ſe non quod pueri in faba B. Ioannis Soreth noſtri quondam Ordinis Generalis, nobilis quoque Duciſſæ B. Franciſcæ Amboſiæ exẽpla, quaſi verò amentata tela cõtra griſeum colorem vibrauit, quæquidem in eum non mediocri vulnere poſsũt retorqueri. *Bis perit qui ſuis armis perit.*

Certè enim dum intueor Patres nostros in Gallia redire ad natiuum lanæ colorem, & simul in Beati Sorethij vitam oculos mentis intendo, non inepto acroamate videor mihi de *tanto Patre dicturus,*

Claudian. 3. Consul. honor.

Hos tibi virtutum stimulos, hæc semina laudis
Hæc exempla dabat.

Falsum semper colligitur ex falsis. Arist. 8. Topic.

Rursus cũ stomachãtes acriori bile *falsa semper video ex falsis colligentes*, per fas ac nefas astruere, B. Franciscam Ordinis nostri in altero sexu decus eximiũ, non fuisse griseo natiuo conuestitam, sed nigro artificiosè tincto, vereor ne potiori iure quã qui accusãtur ab ij, defunctæ memoriã iniurioso mẽdacio afficere videãtur. Ex quo periculum imminet, ne vt olim qui statuam mortui Theogenis verberibus appetebat, ab ea obrutus fuit; ita obloquens tùm contra vestimenti sacras reliquias, tùm aduersus germanam monumentorum scriptorumque veritatem, vltrices pœnas serâ pœnitentiâ experiatur.

S. Theresia dũ ordinem reduduxit ad primæuum statum & regulam, non assumpsit nigrũ tinctum sed Griseum tamquam Carmelitis proprium & antiquum.

Sed hæc antiquiora, recentissima dabo: respice, si lubet, in Hispaniam, videbis vtiquè nostri æui lumen totiusque Carmelitanæ Religionis columen beatam Theresiã, quæ dum virili planè ausu sacrum Ordinem restaurauit, non nigrum artificiosè tinctum, sed griseum natiuumque colorem, vt potè proprium & antiquum pro se suisque elegit. Vnde dum obtentâ Superiorum licentiâ, priuatum corpus satis iam amplo numero RR. Patres Discalceati effecerunt, id vnanimi optarunt consensu, vt sicut antiquum Carmeli vigorem in moribus reuocabant, ita & in vestimentis prisco natiuæ lanæ colore maiorum exemplo vterentur. Atque ab aliis qui

grisco quoque conuestiebantur, nota discriminis foret præter nuditatem pedum, Cappa alba non vsque ad medias tibias, sed vt est in praxi longè breuior, cum aliquali in vestium forma, tunica videlicet, scapulari, cappa & capputio diuersitate: manente interim, quod colorem attinet, omnimodâ similitudine ac paritate. Hos nimirum videmus ab eo tempore in Gallia, in Belgio, in Germania quo colore, nigro tincto? minimè gentium. sed griseo natiuo, quem antiquum & proprium Carmelitis colorem iudicarunt, nigro denique Carmelino indutos. Et iam nobis non liceat Deus immortalis! sanctissimam Matrem Theresiam, florentissimam congregationem in hæreditario colore imitari, sicut ij reuera Maiores nostros etiam Gallos in hoc ipso colore imitantur.

RR. PP. Discalceati Carmelitæ colorem Griseum retinent, diuersitatem tantum in vestimentorum forma inducunt.

Vis fortè redire in Italiam; nempe absoluam te paucis, Congregationis enim Mantuanæ ista est expressissima constitutio. *Vestimenta fratrum lanea sint eiusdem formæ vt habeant tunicas amplas, griseas, ferugineas, vel saltem ad nigredinem tendentes.* Et infra. *Nullus frater portet vestes de alio panno, vel lanâ, alio quàm dictum est colore, sub pœnâ priuationis vsus illius, & grauis culpæ rigidè infligendæ: sed omnes vbiquè vtātur* GRISEIS SVI NATIVI COLORIS AD NIGREDINEM TENDENTIBVS, NEC ALIQVOMODO TINCTIS, sub pœna priuationis vocis & loci: verba hæc clara sunt, nec mea luce aut Delio, quod aiunt, natatore indigent, ea solum annotare sigillatim, & secretâ mentis æstimatione ponderare verba illa, NATIVI COLORIS

Statutum congregationis Mantuanæ pro Griseo colore.

AD NIGREDINEM TENDENTIBVS pretium erit.

Possem insuper adducere hac ipsa tempestate Tholosanæ Prouinciæ Carmelitas, qui pridem à nigro colore deficientes griseum assumpsere, adderē Narbonensis, & Aquitanicæ. Hi namque vltimi in publicis Prouinciæ Comitiis in Conuentu Rupifucaldensi celebratis anno 1624. de nigro in griseum colore immutando in hæc omnino verba decreuerunt, *Quia visum est Generali Capitulo Romæ celebrato, & gratum fuit Christianissimo Regi, volumus & ordinamus vt qui iam colore griseo vtuntur nullomodo eum deponant, nec nigro in posterum vtantur.* Ij nimirum vniuersi cùm Decreto Capituli Generalis, tum Christianissimi Regis beneplacito, & totius Ordinis bono acquiescentes, in hunc colorem concesserunt, & iure illud quidem; nam

Plurimi Carmelitæ in diuersis Galliarum prouincijs griseum in vestibus colorem assumpsere.

Redire pietas vnde summota est solet. Seneca.

Quid ergo? nostri soli resistent, nec aliorum qui præcedunt exempla volent imitari? importuna certè bouinatio, non ferenda tergiuersatio. Qui olim inter Gallos dato signo nouissimus venerat ad locum certaminis Ducisque imperium, supinam negligentiam capitis pœnâ luebat; & libenter meis auribus audirem religiosos in Gallia, quos pietatis zelo inflammatos mecum suspiciunt benè multi omnium postremos ad commendatum colorem accurrere, præposterâ quadam tarditate præcedentium vestigiis, maiorumque exemplis non acriùs insistere, premere, vrgere. Imo verò *prudêntia est* (vel ex Terentij sententia) *tanquam in speculum vitam omnium inspicere, atque ex aliis sumere exemplum sibi.* In Adelphis.

Huc

Huc ergo te volo, aude pedem pedi, quiſquis auſus es nugari nugas & quidem nugaciſſimas, quocumque te vertas nulla effugij via. Nam vel Eliam Patrem, Virginem Mariam Matrem, B. Ioãnem Soreth Generalem, B. Franciſcam Amboſiam Duciſſam olim Armoricæ, S. Thereſiam à Ieſu Hiſpaniæ tutelarem; Mantuanam Congregationem; Deniquè quotquot ſunt in Ordine vniuerſo pietate & doctrinâ inſigniori, fatuos, imprudentes, ineptos, barones, ſtupidos dicas neceſſe eſt: quorum alii natiuo lanæ colore vnicè vſi ſunt, alii griſeum tanquam Ordinis proprium ſemper conſeruarunt, alii intermiſſum reduxerũt. Omnes verò vnanimi conſenſu nigrum artificio tinctum verbo & opere procul eliminarunt, ſuiſque religioſis facti exemplum reliquere. vel quod contendo, & ſincera veritas exquirit, mecum fatearis oportet prudenter egiſſe Patres in Turoniæ Prouincia, qui ea exempla, pro eo ac debebant, ſummâ diſcretionis laude ſunt imitati. Reuera enim pulcherrima ſemper vt ſapientiſſima viſa eſt mihi Baſilii Imperatoris ad filium exhortatio; quæ ſi ad rem præſentem accommodetur, egregiè probabit Patrum maiorumque exempla nepotes ac poſteros imitari, & decorum eſſe, & verò glorioſum, atque adeò conſummatæ virtutis opus abſolutiſsimum. *Debent pictores quidem* (aiebat ſapientiſsimus Princeps) *corporum lineamenta, filii autem Regum* (dic tu ad rem noſtram, religioſorum) *quaſi viuæ imagines, Patrum virtutes & facta referre.*

Ff



OPERIS CLAVSVLA

IN QVA CONTRA DEPRAVATORES VERI, EXPLICATVR TRITVM ILLVD, *Habitus non facit Monachum*.

Hæretica opinio, habitum Monachorum esse inanem & superfluum, quam fuse confutat Thom. Vvaldensis de sacramental.

Medio tutissimus ibis.

Dum fugimus vitia labimur in contraria.

August. lib. 9. de Ciuit. cap. 8.

Monachi in Oriente hypocritæ.



VICLEFI famosi apud Anglos Heresiarchæ dogma fuit; singularitatem vestis Monasticæ quâ vtuntur Religiosi meram esse superstitionem: adeoque diuersitatem in vestibus, generare diuersitatem in affectibus. Atque vt character erroris notaque euidẽtissima fuit, nunquam in medio consistere, quod virtutis est & veritatis; sed hinc aut inde semper in extrema dilabi, iuxta illud acutissimi Poëtæ, Horat. 1. Saty.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Vviclefum ex opposito præcesserant in Oriente hypocritæ quidam *Araneæ telam texentes*, vt vocat S. Ephrem, quos velut inanes vtres ventus inflabat superbiæ. Hi pallio & promissâ barbâ grauitatis speciem præ se ferentes, intus ieiuni & omnis solidæ virtutis expertes, veste tenus Religiosi, imperitam multitudinem deludebant. Iis merito iure potuisset obiici, quod Herodes olim detorquebat in Philosophos; *video barbam & pallium, Monachum nondum video*.

Horum igitur falsum dogma dum temerè auer-

fatur Vviclefus, diuersam in Monachismo vestimenti materiam, formam, & qualitatem iocularia esse comœdiam asserit: negatque impudẽter quidquam prorsus conferre ad Religiosi status dignitatem, vel hilum conducere ad comparandam interioris vitæ sanctimoniam. Sic nimirum ventosus homo & arrogantiæ plenissimus,

Quisquis medium diffugit iter, stabili nunquam tramite curret. *Seneca in Agamemn.*

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Atenim longè meliùs Ecclesia Catholica, abs periculoso vtrinque latere æqualiter recedens: sicut ab eo spiritu inspiratur gubernaturque, qui inter diuinæ Trinitatis personas medius intercedit, ęternum Patrem cum vnigenito filio mutuo ac fœlici nexu copulans; ita prorsus pergens mediâ viâ, procul à vitij falsitatisque deuiis itineribus, virtutis mediocritatem ac veritatis amplectitur. Quocirca & Vviclefi asseclas hæreticos damnat, & superbiẽtes à veste Monachos erroris condemnat.

Ecclesia Catholica neque ad dexteram, neque ad sinistrã declinat.

Quid enim aliud Gangrense Concilium 2. dùm acerbè reprehendit in Africa Monachos, qui promissâ barbâ, & pallio oblongo incedentes, cæteros contemnebant & aspernabantur; *Si quis virorum*, inquit, *putauerit sancto proposito, id est continentiæ, conuenire vt pallio vtatur tanquam ex eo iustitiam habeat: & reprehendat, & iudicet eos, qui cum reuerentia burris vtuntur, vel alia veste communi quæ est in vsu, Anathema sit.* Quid Diuus ipse Epiphanius, dùm saccophoros in Mesopotamia hæreticis annumerat? quid D. Hieronymus dum alios Cathenatos, alios ceu bubones & noctuas suis caputiis

Qui putant talem aut talem formam vestimenti, conferre sanctitatem, et aliter indutos contemnunt damnantur.

De saccophoris vide sup. sect. 2.1. Ration.

Superstitio in veste fugiẽda.

Sed enim turpiter & à veritatis scopo & à sanctorũ patrum mente aberrarit, quisquis statim autumarit studium religiosioris cultus, & vestis magis à sæculi moribus abhorrentis inanitatem esse vanitatem, superstitionem; eoque nomine Carmelitas grisеum præ nigro in vestibus colorem eligentes, iactantiæ & ambitionis accusarit. Similem enim errorem reuincit præclara hæc nostri Thomæ Vvaldensis sententia, *Hoc ergo nouerit iste Vviclef, semper & fuisse Christianæ congruum honestati, vt in vestitu & signis extrinsecis diuersæ professionis & status fiat agnitio*; neque decretũ vnquam fuisset Concilij Senonensis, *vt Deo consecrati professionem suam probent habitu, scilicet vt per decentiam habitus extrinseci, intrinsecam morum honestatem ostendant*; nisi longè antea verissimè dictum fuisset à Clemente Alexandrino, *vt signa quæ ad causas maximè accedunt, rei naturam ac proprietates maximè demonstrant: ita amictum nostrum indicare, qualis sit morum nostrorum constitutio.* Quin etiam proloquium est illius diuini spiritus, qui nec falli potest nec fallere, *Amictum hominis enunciare de illo.* Nempè quemadmodum ex Philosophorum disciplina, non parum conferunt accidentia, ad cognoscendum ipsum quod quid est, videlicet substantiã, naturã, essentiã, quæ omnia occultissima nostris oculis perspici nequeunt; haud secus vestes etsi accidẽtia sint Monacho, multũ iuuant nihilominus ad dignoscendam vitæ, quæ nos latet interioris puritatem, sinceritatem,

Oues non debẽt pelles suas deponere, etiamsi aliquando ijs se lupi contegãt. August. de serm. Domini.

Tit. 9. c. 8. de Sacram.

Can. 23

Habitus seu vestis signum est internæ virtutis.

L. 3. Pædag. c. 11

Cap. 19. Ecclesi.

1. de Anima.

Ex accidentibus cognoscitur substantia.

innocentiam. Vnde statuit Concilium Carthaginense, *vt Clericus suam professionem & in habitu, & in incessu probet: & ideo nec in vestibus, nec in calceamẽtis decorem quærat.* Neque verò aliud Cassiani Concilium in præclara illa Monachorum institutione: cum ait, sibi in animo esse exteriorem Monachorum ornatum sub oculorum depingere obtutibus, vt consequenter possit interiorem exprimere. Cassiano subscribit D. Gregorius magnus dùm Religiosum monet, *Reuerentiam habitus sui in actu, in cogitatione, in locutione semper circumspiciat, vt quæ mundi sunt perfectè deserat: & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos prætendat moribus.*

Cap. 15

Quanta Clericorum modestia in habitu & incessu.

Hom. 17. in Euang.

Dicamus ergo de habitu seu veste Monachorum, quod olim Lanctantius de virtute edixit, *non esse ipsam summum bonum, sed effectricem & parentem summi boni. Scio*, inquit D. Hieronymus, *per bonam & malam famam perueniri ad regna cælestia*; quo etiã sensu non diffiteor ego per griseum nigrumue habitum, vilem aut splendidum acquiri vitæ Religiosæ perfectionem. Et vestem, zonam, scapulaue, pallium, vigilias, ieiunia, cæteraque mortificationis ac pietatis exercitia non constituere interiorem sanctitatem, sed tantum iuuare ac promouere: augere debere bonum nostrum, non velare peccatum. Verumtamen tibi, ô Religiose, libenter suaserim cum Tertulliano, *revereri habitum vnius erroris tui renunciatorem.* Mihi namque semper visa est salutaris pia consideratio, quæ à sancto Ephrem Religiosis tradita est, *Considera habitum quo indutus es Monache*; quasi habitus sit, vti reuera est, incentiuum ad

Li. 1. instit. c. 8.

Ep. 99.

Cap. 4. de pallio.

Habitus consideratio impellit ad virtutẽ, retrahit à vitio.

Cap. 9. tract. de virtut.

virtutem: frænumque potentius, vt ab sæculi vanitate & mundi delicijs tanto mentis, quanto vestis interuallo disiungamur.

Quàm ardenter ad fastigium perfectionis inflammatus huius vestis arcanâ virtute Abbas ille Simeon! qui spiritali lætitia perfusus exclamabat, aliam vitam cerno, & res alienas, in hoc habitu: ex quo enim Dei seruus nos eo induit, intrinsecus in-

Surius in Iulio. flammor nescio vnde, & quærit anima mea neminẽ videre, neminẽ alloqui, & audire neminem. Et ridebis deinceps religiosos qui vestis simplicitatem, reuerentiam, & antiquam-nouitatem ceu validissimam contra vitia cautionem adhibuere? cum tamen censuerit Ethnicorum aliquis,

Horat. l. 2. ode 3.

Quid quisque vitet, nunquam satis
Homini cautum est in horas.

Fac religiosæ vitæ professori idoneum esse præceptum,

Mart.

Nulli te facias nimis sodalem.

Nonne concedes postea, fusci ac pulli coloris horrorem ab omni nimia & periculosa familiaritate nos omninò, si velimus, reuocare?

Iuuen. Sat. 15.

Separat hæc nos à Grege.

Puerilis metus, inquies, inanis præcautio. at memineris obsecro, quod ait ille nescio quis,

Seneca in Hercul. fur.

Post multa virtus opera laxari solet.

Et non pones in maximâ beneficij parte, si vestis ipsa & habitus professionis vota reuocet in memoriam? Atque adeò ad prima vitiorum nomina aut titillationem, menti horrorem incu-

tiat tamquam officij domesticus & familiaris nomenclator?

Claud. paneg. 6

---*Munere charior omni*
Astringit sua quemque salus.

Amabo igitur hanc Monastici vestimenti materiam, formam, colorem qui me ad virtutem impellit, retrahit à præcipitijs; & vel inuito & alia omnia cogitanti ingerit diuinos sensus, pios motus suggerit, nec sinit vnquam tentari imparatum. *Ecquod enim lucrum est homini sanctitate vtilius?*

Philo in legat. ad tit.

Habitus Monastici reuerentia.

Diuum olim Athanasium memorant Annales Ecclesiastici Monachalem habitum tantâ reuerentiâ prosecutum, vt cùm ad verbera pro Christi fide esset destinatus, exui voluerit veste religiosâ: ne vestito illati ictus, vestimento esset irrogata iniuria. Hunc ego fortissimum Martyrem imitatus, Religiosum habitum eovsque reuerebor, vt diuinâ adiutrice gratiâ, nihil eo indignum, nihil quod meam vestem vitæ Angelicæ symbolum deceat admittere sustineam. Neque vnquam discedet è memoriâ senex ille inter priscos eremitas virtutis exploratissimæ, qui iuueni tabernas licentiùs ingredienti, non aliunde quàm à vestis monasticæ reuerentiâ scrupulum ac ruborem iniecit: *An nescis Domine frater, quia habitũ Angelicũ defers?*

Cur Monasticus habitus sanctus dicatur.

At vndenam amabo, habitus Religiosus *Sanctus* appellatur *&* *Angelicus*, nisi à sanctimoniâ & puritate quam tegẽs significat? tegmen optimũ quidem est, inquit recens & bonus autor, in eo quod frigus arcet, & nuditatem operit; sed Sanctus non est nec Angelicus, nisi in eo quod status nostri sancti &

In Cathet. Nouitiorum.

cti & Angelici admonet. Hunc sanè honorem intellexit Magnus Ecclesiæ præsul, idemque Carmelitici ordinis decus eximium S. Petrus Thomas, qui Romani Pontificis legatus in Oriente, dum Barbarorum telis Alexandriæ confossus Samagustæ in lectulo diem obijt extremum, iussit se cum veste Monastica & habitu Carmelitarum quem semper venerabatur tumulari, Mythra & Episcopi ornamento præ humilitate sub pedibus collocatis. ita refert Dom. Petrus de Manseriis Cypri Cancellarius, in luculento eius vitæ manuscripto, quod diuulgandum aliquando, magnam Carmelitis consolationem confidimus allaturum.

Ex quibus manifestâ ratione concluditur malè feriâtis animi cogitationem esse ac minus benè de Monasticâ, imò Catholicâ perfectione sentientis, affirmare obseruantiorem vestimenti cultum esse superstitionem: Rigidiorem habitus vel materiam, vel formam, vel colorem (tum cùm à Superioribus aut permittitur, aut suadetur, aut imperatur) nihil prorsus iuuare Monachos, vt facili progressu eant de virtute in virtutem, & longiùs distet à peccati quod semper imminet, discrimine ac periculo. Sanè multum diuersa sentiebat, Magnus ille Monachorum præceptor ac mystagoga D. Basilius, dùm pro causa, in qua iam desudo, Regulam

Cap 11. Regul. fus. disput. his verbis exaratam reliquit, *Vtilis etiam in hoc peculiaris hæc amictus ratio est, quod ea qualis sit vniuscuiusque vita indicat, & vitæ quæ ex Deo est professionem ante veluti testificatur: quæ res facit vt ab ijs qui nos viderint, actiones etiam isti professioni consentaneæ requi-* *Habitus noster est Pædagogus.*

rantur. Quo fit vt imbecillioribus veluti Pædagogi disciplina sit quædam, quâ inuiti etiam à rebus flagitiosis prohibetur hæc quæ in vestitu foris apparet professio. Iuuabit etiam ex latino autore contra inania verba addere Colophonem. *Purulentias ciuitatis quis eliciet & euaporabit, nisi sermo palliatus? sermone, inquit, me suasisti medicamine salutis sapientissimo. Verùm etsi eloquium quiescat, aut infantiâ subductum, aut verecundiâ retentum (nam & elingua Philosophia vitâ contenta est) ipse* HABITVS SONAT, *Sic deniquè auditur Philosophus dùm videtur, & de occursu meo vitia suffundo. Grande pallij beneficium est, sub cuius cogitatu improbi mores vel erubescunt.* Hæc grandiori stilo, vt totus Afer Tertullianus. Mitiori nec tamen minus subtili sermone eam ipsam sententiam fundit Hugo à sancto Victore. *Si Doctor esse desideras, audi quid facies. vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, innocentia vitæ & sanctitas conuersationis tuæ docere habent homines.* Quod si breuiorem tam huius capitis, quàm operis totius clausulam requiris, Audi nouum & eum quidem Religiosum versificatorem.

Habitus sermo est efficacissimus.

Pulcher locus Tertul. in fine Tract. de Pallio.

Li. 3. de Claust. animæ.

Vestis Monastica concionatur.

Vestis virum in Adag.

Garrula quid falsò iactat prouerbia vulgus,
Vestimenta bonum non faciunt Monachum.

CONCLVSIO PER COLLECTIONEM.

HÆc nimirum vti satisfacerem nonnullorum obtrectationi; & illud vulgatissimum, *habitus non facit Monachum*, eo quo debet sensu sanè explicaretur, in huius opellæ coronidem apponere pretium mihi visum fuit. Sed iam pro secunda mei parte instituti,

Persius. *Quæ dederam supra repeto, finemque reduco.*

Si Carmelitæ in Gallia à nigro vestium colore ad griseum aut potius natiuum nigrum, quem nostrates griseum Minimum appellant, imprudenter redierũt, nouitatis ergo, causâ vanitatis, ambitionis, & reformationis ostẽtitiæ, cum Charitatis præiudicio & iusto aliorum scandalo; non ampliùs disputo, veniant, per me licet, in ora multitudinis ac fabulas, & cuiuslibet Anonymi dentibus immolentur. Quandoquidem è re sacra inanem gloriam venari, piaculum est inexpiabile.

Psal.39. Sin concedentes in eam coloris mutationem, *non respexerunt in vanitates, aut insanias falsas*, rati videlicet Antiquitatis iura, obedientiæ leges, Pontificis, Superioris Capitulique Generalis voluntatem, Christianissimi Regis Ludouici XIII. eiusque sanctioris Concilij Decreta. Ad hæc vniformitatis, humilitatis, paupertatis, simplicitatis, pœnitentiæ rationes. Denique maiorum quotquot in Carmelo, etiam in hisce Galliarum partibus gloriosiùs floruerunt, sexcenta exempla; rati, inquam,

tot rationum præsidia satis habere roboris ac momenti, vt relicto nigro à tincturâ, nigrum à natura hoc est fuscum, pullum aut griseum quem Galli vocant Minimum eligerent; dignus erit certè accusator Anonymus (nisi iustitiæ legibus charitas intercedat) Sycophantæ & calumniatoris pœnâ vtiquè mulctari: digni Patres Carmelitæ in Galliis, vt omnis æquus iudex & sincerus rerum examinator, factam ab eis in vestibus coloris mutationem approbet, confirmet, ratam fixamque pronunciet: sic vt deinceps sine grandi crimine non possint aut debeant meritò ab vllo mortaliũ, quouis prætextu inuidiosè suggillari; dignus ego tãdem omnium minimus & qui non sum dignus vocari Carmelita, dignus, inquam, cuius primigenius labor æqui bonique fiat, & feruor si quis in decursu fuit, omnis benignè concedatur. Quandoquidem hunc animi conatum feruoremque calami, præter obedientiæ iura honor Matris meæ sanctissimæ Religionis Carmelitanæ, & inuicta veritas imperarunt.

Manda Deus virtuti tuæ: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Psalm. 67.

IESVS MARIA IOSEPH.





